

De Deo Trino¹

Advertentia

Hae notae non integram continent expositionem tractatus de Deo Trino sed tantummodo propositiones indolem positivam magis respicientes. Pars vere speculativa scite fuseque traditur in 'opusculo' quod 'Divinarum personarum conceptionem analogicam' inscribitur a R.P. Bernardo Lonergan, S.J., apud aedes P.U.G. anno 1957 edito.

Introductio

Summarium

Dato momento quaestionis de evolutione dogmatica hic refertur tota expositio introductoria quae constituitur sex punctis:

- 1 De facto quodam litterario: evolutione scilicet in modo loquendi symbolorum de SS. Trinitate.
 - 2 De crisi quadam in hac evolutione, seu generalia quaedam de controversia cum Arianis.
 - 3 De altero facto litterario: evolutione scilicet in modo loquendi de Deo, in qua detegitur (a) transitus e modo loquendi proprio alicui culturae ad modum loquendi alterius (transitus transculturalis); (b) character singulare evolutionis dogmaticae, quae non est transitus *mere* transculturalis.
 - 4 Ad explicanda facta illa, instituitur parallelismus inter cognitionem scientificam et vulgarem.
 - 5 Analogice applicatur ille parallelismus ad cognitionem humanam de Deo.
 - 6 Applicatio particularis fit ad crisim trinitariam saeculi quarti.
- Tandem, quidam obiectioni relativisticae respondetur.

1 De facto quodam litterario: evolutione scilicet in modo loquendi symbolorum de SS.

Trinitate.

Dogma trinitarium quattuordecim propositionibus brevissimis et non technicis enunciatur:

| | |
|-----------------------------------|------------------------------------|
| 1 Pater est Deus | 4 Deus est Pater |
| 2 Filius est Deus | 5 Deus est Filius |
| 3 Spiritus Sanctus est Deus | 6 Deus est Spiritus Sanctus |
| --- | |
| 7 Pater non est Filius | 11 Filius non est Spiritus Sanctus |
| 8 Filius non est Pater | 12 Spiritus Sanctus non est Filius |
| 9 Pater non est Spiritus Sanctus | 13 Deus est unus |
| 10 Spiritus Sanctus non est Pater | 14 Deus non est quaternitas |

(Lateran IV, DB 432)

Propositiones 1-6 convertuntur, cfr. Conc. Reims 1148, DB 390.¹

His propositionibus neque nomen substantiae seu naturae usurpatur, neque personae.

Haec enim potius quam ad enunciationem dogmatis, ad reflexionem theologiam pertinent.

Secundum gradum evolutionis istius elaborationis theologicae dogma trinitarium diversimode in diversis temporibus concipitur et enuntiatur, ut patet ex comparatione inter quattuor documenta fundamentalia quae fidem ecclesiae testantur, scilicet inter *symbolum 'Quicumque'* (seu Athanasianum), *symbolum Apostolicum*, *symbolum Nicaenum* et *Nicaeno-Constantinopolitanum*.

Symbolum Quicumque (DB 39), etiamsi Athanasianum vocetur, certe non est S. Athanasii.

Pertinet potius ad traditionem latinam. Disputatur utrum eius *origo* sit antiprisciliana et hispanica, an eius auctor sit S. Ambrosius, an Fulgentius Ruspensis. Certe tamen eius *valor* dogmaticus non pendet ab auctore, sed ab usu et acceptatione huius textus in Ecclesia et in liturgia sive occidentali sive orientali: est ergo vera expressio fidei catholicae cuius nota theologica dici potest 'de fide divina et catholica.'

In hoc symbolo iam inveniuntur voces technicae ‘substantia’ et ‘persona,’ quarum prima Deo reservatur, secunda autem Patri et Filio et Spiritui Sancto. Haec distinctio in Occidente iam a tempore Tertulliani accepta erat, cum in Oriente acerrime disputationes fiunt etiam post crism Arianam.

Verbis ‘non confundentes personae’ exprimuntur modo reflexo sex propositiones nostrae negativae (7-12) et quod postea scholastice exprimetur per ‘realem distinctionem’ personarum.

Verbis ‘nec separantes substantiam’ excluditur affirmatio trium substantiarum, scil. trium Deorum. Cfr. In symbolo Nicaeno, 325, terminum *homoousion* [DB 54].

Stabiliuntur ideo aliae septem propositiones positivae (1-6, 13).

Post has affirmationes sermo fit concretus, minus technicus, iterum de unitate substantiae sed quoad tria attributa divina: *incretio*, respiciens originem; *immensitas*, respiciens spatialitatem; *aeternitas*, respiciens temporalitatem. Et similiter de aliis tribus nominibus divinis: *omnipotens, Deus, Dominus,*

Pervenitur deinde ad explicitiorem distinctionem personarum: si Pater non est Filius, et Filius non est Spiritus, et Pater non est Spiritus, aliquid debet esse verum de Patre et non de Filio, etc. Agitur ergo *de proprietatibus personarum* (cfr. Praefationem SS. Trinitatis) quae constituunt obiectivum fundamentum distinctionum inter personas. Hae affirmationes ponuntur:

‘Pater non est factus, non creatus, non genitus’;

‘Filius non factus, non creatus, sed genitus’;

‘Spiritus a Patre et Filio non factus, non creatus, non genitus, sed procedens.’

Negantur deinde et communicatio proprietatum inter personas, et prioritas et posterioritas, et maioritas et minoritas in Trinitate; affirmantur et coaeternitas et coaequalitas inter personas; et unitas in Trinitate et Trinitas in Unitate.

Termini de Trinitate in hoc symbolo a modo loquendi Orientalium in hoc praesertim differunt quod hic ‘Deus’ non est nomen proprium Patris, sed est commune tribus personis. E contra, *ho theos* in VT et NT significat Deum Patrem. Tantum perpaucis textibus dicitur de Filio

et in uno tantum de Spiritu Sancto. Solummodo lente, per decursum conciliorum, vox ‘Deus’ extenditur ad alias personas, antea apud Latinos, tandem denique apud Graecos.

Comparatio inter symbola Apostolicum, Nicaenum, Nicaeno-Constantinopolitanum ostendit hunc progressum apud Graecos.

Symbolum Apostolicum – DB 2 (saec. II ut videtur). De solo Patre dicitur *theos*; tituli Iesu recitantur: Filius, Dominus; de Spiritu Sancto vero nulla qualificatio datur, tantum affirmatur fides in Eum. Idem habetur in symbolo quo hodie utimur.

Symbolum Nicaenum (Conc. Nicaenum I, a. 325) – DB 54, contra Arianos compositum. Hic etiam de Filio dicitur quod est Deus, de eoque, ob controversiam arianam, omnia effugia excluduntur cum dicatur illum (a) natum ex Patre, non factum; (b) unigenitum; (c) de substantia Patris (i.e., non ex nihilo ut creatura); (d) unius substantiae cum Patre (*homooousion tō Patri*); (e) per quem omnia facta sunt.

E contra de Spiritu nihil additur symbolo apostolico.

Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum (Conc. Constantinopolitanum I, a. 381) – DB 86. Textus differt ab illo Symboli Nicaeni de Spiritu Sancto tantum. Quaestio erat contra Macedonianos et alios de divinitate Spiritus Sancti vindicanda. Ratione tamen habita tot difficultatum ortarum contra explicitam definitionem divinitatis Filii eiusque consubstantialitatis cum Patre, Patres de Spiritu Sancto diversimode egerunt. Nihil enim asserentes explicite de eius consubstantialitate, de natura eius processionis, ut factum erat in symbolo Nicaeno de Filio per verba ‘verum deum *de* Deo vero, etc.’; implicite tantum ad Spiritum extenderunt id quod de Patre et Filio dicebatur, scilicet nomen ‘Dominum,’ et ea quae semper, iam a VT, habita sunt tamquam proprietates solius Dei, scilicet ‘vivificatio,’ ‘adoratio,’ ‘conglorificatio.’ Implicite ergo asseritur illum esse Deum.

Ex comparatione istorum symbolorum apparet processus explicitationis dogmatis trinitarii: a formulatione plus minusve generali quae, ut sit completa, debet recitare quattuordecim illas propositiones quas initio enuntiavimus, perventum est in saec. V-VI (‘Quicumque’) ad enuntiationem dogmatis perfectam. Proinde, etiam in re trinitaria, occasione

haereseos arianae, factus est progressus similis progressui qui factus est in doctrina de gratia, ope Augustini, occasione haereseos pelagiana. Hoc enim est munus haeticorum: impellendi Ecclesiam ad accuratorem explicitationem depositi revelati ipsi concrediti.

Sed in re trinitaria haec evolutio facilius fuit in Occidente (partim ex inventione terminorum a Tertulliano facta), in Oriente vero lentior et multo tumultuosior, ut iam breviter exponendum est.

2 De crisi quadam in hac evolutione, seu generalia quaedam de controversia cum Arianis

Controversia Ariana (ab anno 310 ad 380) orta est ex confusione inter *duas quaestiones*, quarum prima opponebat catholicos ‘rationalistis,’ secundum autem disputabatur etiam inter ipsos catholicos.

‘Filius’ estne revera Deus an creatura? Quaestio est contra Arianos, qui contendunt invenire in Sacra Scriptura *tantum* similitudinem inter Patrem et Filium.

An legitime ponantur in positiva formula fidei catholicae verba quae in Sacra Scriptura non leguntur? Agebatur de termino *homoousion* dicto de Filio consubstantiali cum Patre. Quaestio est etiam contra Arianos, sed praesertim inter catholicos: si enim symbolum fidei continet tantum verba Sacrae Scripturae, Ariani possunt ut antea recitare ‘Credo,’ neque externe discerni possunt a veris christianis. Oportet ergo verbum aliquod introducatum ad hoc effugium auferendum.

Sed estne legitimum hoc facere in professione fidei? Inde disputationes fere infinitae exortae in Ecclesia, et ratio qua multi catholici, etsi orthodoxi in fide, impugnaverunt Concilium Nicaenum.

Hoc tempore, revera, facta est capitalis evolutio dogmatis, ducta ab historia sed sub divina providentia.

Attamen ad hunc progressum profundius intelligendum necessarie faciendi sunt alii gressus in nostra investigatione.

3 De altero facto litterario: evolutione scilicet in modo loquendi de Deo, in qua detegitur

(A) transitus a modo loquendi proprio alicui culturae ad modum loquendi alterius (transitus transculturalis);

(B) character singulare evolutionis dogmaticae, quae non est transitus ‘mere’ transculturalis.

Evolutio circa notionem Dei (transitus a noto quoad nos, seu concreto, ad abstractum, seu verum quoad se).

Ut vidimus in comparatione symbolorum, adsunt differentiae in modo loquendi et cogitandi de SS. Trinitate, si transimus de Sacra Scriptura ad symbola et documenta magisterii. Hae differentiae non inveniuntur tantum quando agitur de SS. Trinitate sed etiam si agitur de Deo, immo, modo prorsus generali, de quovis obiecto cognitionis humanae. Consideratio istius evolutionis est maximi momenti ad intelligendum *cur* et *quomodo* ponantur primae theses nostri tractatus de existentia Ss. Trinitatis.

(A) Transitus transculturalis

Investigemus facta litteraria de hac evolutione loquelae de Deo. Postea explicationem dabimus.

Patet sermonem Concilii Vaticani (v.g., DB 1782) de Deo rerum omnium creatore esse prorsus diversum, in technicitate sua, a modo loquendi Sacrae Scripturae. Vaticanum multa dicit quae in Sacra Scriptura explicite non inveniuntur, quae omnia supponunt evolutionem philosophiae et theologiae scholasticae. Et sic ad intelligenda verba Concilii, quaedam requiritur formatio philosophica et theologica, ex eo quod conceptibus maxime abstractis Dei descriptio per se et propter se instituat. In Sacra Scriptura, e contra, v.g., Ex. 6.2ss. (ut textum maxime diversum sumamus) modus quo Deus exhibetur Iudaeis est historicus et personalisticus: describitur Deus non per conceptus essentialis abstractos, sed narrando ea quae ipse fecit, facit, faciet. Deus cognoscitur in sua actione et in suis promissis. Modus iste cogitandi erat necessarius illi tempori, et semper remanere *debet*, quia multi numquam discunt abstracto modo cogitare, et

quia etiam qui sic cogitare valent, indigent saepe auxiliis concretis et ad cogitandum et ad vivendum. In NT idem modus loquendi invenitur.

Sic revelatio facta est modo concretissimo, quia conceptus abstracti, proprii hominis exculti, non solum nullius utilitatis sunt homini primitivo sed etiam periculum praebent deceptionis: nam circa res ab experientia ordinaria remotas, phantasia popularis spontanee creat mythos qui ut facta realia habentur, quorum campus e contra non extenditur ad res concretas ad experientiam cotidiam pertinentes.

Sic in *Lc. 1.46-52* (Magnificat). Hic locus characteristicus est in NT ob continuas suas allusiones ad VT. Incipit Maria a narratione *suae* experientiae intimae de Deo, ac deinde transit ad descriptionem actionis Dei.

Sic in *Lc. 1.68-79* (Benedictus) non habemus certe conceptus systematicos Vaticani, ubi nulla memoria historica invenitur; e contra in Scriptura connexio historica pertinet ad notionem ipsam huius Dei qui se manifestat. (Ad ampliorem notitiam de Deo prout in Sacra Scriptura describitur, cfr. notas De Deo Uno, P. Alfaro, 1956, pp. 58-62.)³

Hac rite perspecta differentia inter documenta, intelligimus ordinem adoptandum in nostra probatione: demonstranda est divinitas Filii in NT; deinde divinitas Spiritus Sancti in NT: habetur sic punctum a quo: nam dogma Trinitatis revelatur in NT.

Dein, demonstrandum est Patres Antenicaenos et Postnicaenos eandem tenuisse doctrinam, etsi evolutio adsit in eorum loquela.

Bene perspiciendum erat *cur* necessaria esset huiusmodi probatio, ut intelligeretur natura ipsius; oportebat scilicet perspexisse differentias inter modum loquendi documenti magisterii, v.gr., Concilii Vaticani, et modum loquendi Sacrae Scripturae: si omnia quae in Vaticano dicuntur possunt probari per locos Scripturae, tamen quae per unum nomen dicuntur a Concilio, per multa nomina aequivalenter in Scriptura exponuntur. Sermo Concilii enim est maxime systematicus, ac proinde comprehensivus, una vox in illo supponit multas relationes cum multis textibus Sacrae Scripturae; ut eius doctrina populo exponatur, recurrere oportebit ad illa multa et diversa quae in Sacra Scriptura inveniuntur.

Natura autem istius aequivalentiae exactius est investiganda.

Si comparantur inter se sermones Pauli de Deo, iam evolutio aliqua in ipsis deprehenditur, scilicet videmus maxime differre sermones ad iudaeos prolatos et ad gentes. Sic

Act. 13.16-47: Loquens Iudaeis in synagoga Antiochiae Pisidiano, Paulus enumerat beneficia Dei populo suo iudaico, scilicet adhibet conceptum historicum Dei, proprium populo semitico (cfr. etiam *Act. 7* sermonem Stephani).

Act. 14.15-17: Lycaonios paganos adloquens, qui eum et Barnabam adorare volunt, Paulus de Deo loquitur tamquam de creatore et de conservatore providenti, secundum scilicet attributa divina relativa, non autem relativa ad unum populum sed ad totam creationem materialem et humanam. Sic modus eius loquendi iam non determinatur per contextum historicum particularem, sed fit magis abstractus.

Act. 17.22-31: Atheniensibus eodem modo universalistico Paulus loquitur de Deo secundum eius attributa relativa ad totam humanitatem.

Quod in his sermonibus statim apparet est motus aliquis *transculturalis*: transitus fit a cultura aliqua particulari, iudaica scilicet, ad expressionem generaliore, magis abstractam et intellectualem; sic Paulus aptat praedicationem Evangelii secundum qualitatem personarum quibus loquitur. Hic motus maxime sese imposuit post destructionem Ierusalem: nam tollebatur tunc centrum influxus culturae palaestinae; continuatur motus quando Patres Apologetae, sed praesertim Clemens Alexandrinus et Origenes, loqui debuerunt de Deo ad graecos excultos, qui ipsi salvandi erant. Motus ille transculturalis protrahitur per totam historiam Conciliorum, a Nicaeno ad Vaticanum.

Nostra tamen directe non interest motus iste transculturalis, sed motus *dogmaticus*.

(B) Motus dogmaticus non est transitus mere transculturalis.

Evolutio dogmatica enim non debet concipi exclusive tamquam phaenomenon transculturale. Si enim hunc motum transculturalem non comitaretur alius motus, in stadiis posterioribus faciliter

positiones antea ut verae admissae possent relinqui. Hoc utique factum est de ritibus mosaicis, at non in re dogmatica. Ex hoc habetur primum indicium evolutionem dogmatum reduci non posse ad merum motum transculturalem.

Praeterea, sensus dogmatum non est aliquid coniunctum cum mentalitate alicuius determinatae culturae. Numquam Ecclesia dixit, ‘Si quis non habet mentalitatem hellenicam, anathema sit.’ Praeter elementa alicuius culturae, adsunt in definitionibus elementa systematica, universalia, catholica, unde falsus est *relativismus* modernistarum et protestantium liberalium, pro quibus novus modus expressionis necessario comportat etiam affirmationem novam. E contra, si definitiones essent prorsus novae, liceret admittere *archaismum* protestantium (sola Scriptura!), iansenistarum (solus Augustinus!), irenicorum, quorum in encyclica ‘Humani Generis’ (1950) fit mentio, qui proclamant reditum esse faciendum ad primitivam Ecclesiam, pro quibus Iesus Christus debet vocari *Dominus*, nulla re addita quae explicet quomodo hoc nomen sit intelligendum.

Revera, etsi transierint e mentalitate iudaica-palaestina ad iudaico-alexandrinam, ad syriacam, ad hellenicam, ad mediaevalem et modernam . . . , dogmata revelata non stant in fluxu relativistico. Immo sensum ipsum evolutionis determinare valemus. Deus enim, quamquam revelationem historice proposuit in categoriis mentalitatis semiticae, fundavit tamen ecclesiam non iudaicam, neque syriacam, neque hellenicam, neque mediaevalem aut modernam, sed *catholicam*.

Unde problema fundamentale est antithesis formae et ‘contenti’: quae relatio datur inter formam *particularem*, utpote ‘incarnatam’ in ‘ambiente’ historico determinato, et veritatem *universalem* quam continet? Inde duo aspectus studiorum theologorum: *cognitio formae* sub qua revelatio data est; sic requiruntur studia profundissima et diversissima ad determinandum quid contineatur in Sacra Scriptura; et *intelligentia dati revelati* tamquam alicuius rei universalis omni populo, loco, tempori, culturae destinato. Deus hoc problema cognovit et solutionem praevitit. Ipse praest motui quo ex propriis alicuius culturae determinatae revelatio semper universalior evadat.

Videamus quomodo hic processus sese evolvat.

Ut supra diximus, *duo dantur motus in evolutione dogmatica*:

(1) Ante omnia ab hominibus *adaptationes transculturales* intenduntur. Hoc ab omnibus admittitur et facile cognoscitur. Unde oriuntur multae differentiae particulares in dogmatibus proponendis secundum varias culturas.

(2) Nunquam tamen motus est solummodo transculturalis: semper adest aliquid plus. Etiam in mediis mutationibus quoad expressionem, significatio universalis dogmatum manet independens ab adiunctis particularibus et ipsa attingitur per intentionem divinam, non humanam. V.gr., fundamentale fuit saec. IV introductio vocis *homoousion* symbolo Nicaeno. Vox in Scriptura non inveniebatur, unde controversiae ortae sunt per quinquaginta annos. Clare et conscie Ecclesia in concilio Nicaeno fecit gressum progressivum in ordine abstracto et systematico, multis catholicis sese opponentibus ... Hic gressus tamen aliter ab hominibus, aliter a Deo processit. S. Athanasius enim, qui fuit validissimus defensor vocis *homoousion*, numquam cogitavit nec voluit pervenire ad expressionem universalem dogmatis. Agebatur non de meliore modo expressionis inveniando, sed de unica alternativa possibili ad excludendam haeresim arianam. Etiam Athanasius admittebat multo melius esse fidem exprimere tantum per Sacram Scripturam, necessitatemque introducendi *homoousion* defendebat tantum per modum exceptionis. Deus e contra quod invitis multis factum est per modum exceptionis, adhibuit ad aliquid in Ecclesiam introducendum per modum principii.

Idem factum est saeculo sequenti in Concilio Chalcedonensi ubi in definitione Christi in duplici natura, vox 'natura' usurpata est sensu novo, unde postea Severus Antiochenus cogitans adhuc, modo conservativo, de natura tamquam de concreto et de subsistente, Concilium Chalcedonense accusavit de Nestorianismo. Etiam in Chalcedonensi, inconscie, introductum est non tantum aliquid transmutatum ex mentalitate scripturistica ad patristicam, sed aliquid systematicum et universale.

Similiter in Medio Aevo aliquis gressus fundamentalis in evolutione dogmatum factus est in controversia inter Augustinianos et Aristotelicos. Revera intellexerunt pauci de quanam re

exacte ageretur. At de facto theologia mediaevalis, transponendo dogmata in categorias aristotelicas, acquisitiones systematicas definitivas revera obtinuit pro Ecclesia.

Unde haec evolutio dogmatum in sensum systematicum et universalem facta est praeter intentionem humanam. Homines enim qui eam operati sunt, nihil cogitantes de ipsa evolutione dogmatica, tantum attenderunt ad motum transculturalem; at Deus illis usus est ad comparandam doctrinam catholicam et universalem. Cum enim in Ecclesia vigeat amor intelligentiae, sapientiae, et scientiae, adest conditio necessaria ad progressum dogmaticum. Si quando hic amor tepescat, adsunt haeretici qui cogunt Ecclesiam ad progressum per reactionem quam provocant. Semper autem et infallibiliter Deus fines suos consequitur. Quae hic dicuntur de motu theologico prae oculis habenda sunt in probatione cuiuslibet thesis theologiae ex sacra scriptura.

At quaenam est differentia inter expressiones universales, catholicas, systematicas, permanentes et expressiones determinatis culturis proprias? Ad hoc intelligendum instaurabimus aliquam comparisonem inter duos modos proprios cogitationis humanae, ex quo parallelismo lux oriatur pro quaestione nostra.

4 Ad explicanda facta illa, instituitur parallelismus inter cognitionem scientificam et vulgarem.

(A) Cognitio humana ordinaria

(a) Regitur exigentiis practicis, est practica. Si quaestio nullum habet momentum practicum, parvum interesse provocat; eius finalitas est essentialiter egoistica, ‘interessata’; eius ‘slogan’ est ‘primo vivere, deinde philosophari.’ Multum ergo versatur circa alia, praeter cognitionem, quibus vivit homo.

(b) Unde res considerantur secundum relationes quas habent ad nos; pro hac cognitione considerare res in seipsis est quid mirum et mysteriosum, necnon inutile.

(c) Distinguit diversos aspectus rerum at sese limitat ad differentias quoad nos. Ergo non totum obiectum cognoscitur. De aspectibus tamen quibus attendit, observationes valde subtiles et exactas aliquando habet.

(d) Hi diversi aspectus connectuntur inter se nexu mere empirico: coniunctio frequentius adhibita est ‘et ... et ... et ...’ Nude cognoscitur unum per multas eius manifestationes.

(e) Non utitur defensionibus⁴ neque deductionibus, contra quas immo irascitur, quia optime iam putat se scire definitiones omium rerum. Agit ergo cognitionem scienificam sicut Athenienses egerunt contra Socratem. Pro homine qui sistit in sola cognitione ordinaria, homo speculativus est aliquo vero sensu homo non tantum inutilis, sed periculosus, quia semper interrogationes movet de eo quod videtur certissimum.

(B) Cognitio scientifica

(a) Proficiscitur ex amore intelligentiae et veri intelligibilis. Est cognitio ‘disinteressata,’ vel potius eius ‘interesse’ est universale, et non particulare et egoisticum. Fere tantum ad cognitionem attendit, aliaque omnia vult cognitioni subordinare.

(b) Res considerantur in seipsis et non tantum secundum relationes quas habent ad nos.

(c) Omnes aspectus rerum considerantur, etiam invisibiles, inaudibiles ... propter hunc finem machinae perfectissimae adhibentur.

(d) Nexus inter hos aspectus est causalis: res cognoscuntur per causas, coniunctio usurpata est proinde ‘quia,’ non ‘et ... et ...,’ nam pervenire contendit ad aliquod primum quoad se. Multa ergo cognoscuntur per unum.

(e) Multum occupatur in rebus definiendis et in deductionibus faciendis, dum rarius ad concretos aspectus realitatis attendit.

5 Analogice applicatur ille parallelismus ad cognitionem humanam de Deo.

(A) Notio Dei in sacra scriptura (analogia cum cognitione humana ordinaria)

(a) Deus definitur non per id quod est, sed per id quod facit, quod dicit. Conceptus syntheticus dirigens revelationem est conceptus *soteriologicus*, unde maxime practicus. Soteriologia expectatur in VT; realizatur in NT.

(b) Deus describitur ergo per ea quae dicit et facit nobis, antea patriarchis, deinde populo Israel, secundum ergo attributa relativa et fere semper particularia.

(c) Per multa sunt percurrenda ad habendum sufficientem conceptum de Deo qui est quasi conceptus historicus.

(d) Fere numquam habetur definitio de Deo. Unum quod est Deus cognoscitur per multa. Cognitio haec semper mansit et manebit in Ecclesia, praesertim ob rationes pastorales. Ecclesia enim neque est, neque esse debet schola philosophorum.

(B) Notio Dei v.gr. in Concilio Vaticano (analogia cum cognitione humana scientifica)

(a) Deus definitur secundum se, seu secundum id quod est, saltem prout a nobis ita potest cognosci.

(b) Deus describitur secundum attributa vel absoluta vel relativa universalia.

(c) Ex iis quae sunt priora quoad nos pervenitur ad illud unum quod est prius quoad se.

(d) Ex iis quae sunt priora quoad se deductiones fiunt quibus pervenitur ad omnia alia quae de Deo dici possunt. Unde multa quae in revelatione dicuntur de Deo cognoscuntur per illud unum quod Deus est.

Haec applicatio non restringitur ad solam notionem de Deo sed posset fieri de tota theologia, quae nihil aliud est nisi intelligentia eorum quae habentur in fontibus revelationis per terminos technicos ab ecclesiastica traditione inventos.

Praeter analogiam nuper descriptam, tamen, dantur *differentiae fundamentales inter cognitionem scientificam et theologiam*.

1 Motus scientificus fit per homines et secundum intentiones hominum; transitus dogmaticus e contra non secundum intentionem hominum perficitur, sed Dei, qui saepe haereses permittens, pedetentim ad ea quae sunt priora quoad se cogitationem catholicam impellit.

2 Scientiae naturales incipiunt et fundantur in sensibilibus; et ex sensibilibus valor theoriarum scientificarum stabilitur. Processus autem dogmaticus incipit a veris, quae Deus revelat de se. Unde maximae dantur differentiae!

(a) Vir scientificus, inquantum intelligit sensibilia, pervenit ad theorias plus vel minus probabiles; per approximationes indefinite ad verum simpliciter sese appropinquat (ita saltem loquuntur viri scientifici, attamen scientia aliquando saltem videtur ad quaedam vera pervenisse: v.gr., in chemia, ubi certo difficile posset concipi revolutio totalis tabulae elementorum). Theoriae scientificae semper meliores excogitantur. (N.B. De philosophia nunc non loquimur!)

(b) Theologus e contra incipit a veris quae creduntur. Eorum intelligentia semper augetur, quae tamen debet semper inhaerere vero a quo incipit. Revolutio numquam possibilis est in progressu theologico, qui non ex sensibilibus incipit. Qui aliter agit non est vere theologus, cuius proprium est quaerere intelligentiam veri revelati. Per processum theologicum augetur quidem intelligentia sed eiusdem veri (cfr. DB 1800), verum autem semper notum manet in toto processu, dum in processu scientifico verum simpliciter fere numquam innotescit.

3 Theoriae scientificae novae saepe funditus evertunt veteres. Hoc modo intelligentia de sensibilibus augetur modo semper progressivo. Non sic in theologia, ubi intelligentia de eodem vero augetur ita ut terminus a quo processus (seu datum revelatum) semper magis intelligatur quin numquam negetur.

Damus quattuor exempla progressivae intelligentiae Sacrae Scripturae:

1 *Primus gressus*: quo rite legit scripturam habet primo singulorum locorum intelligentiam, quae nondum neque de singulis est sufficiens, quia seorsum attinguntur (v.gr., Origenes vel Augustinus in eorum commentariis).

2 *Secundus gressus*: si quis incipit praescindere ab accidentalibus, a metaphoris ... et attendit ad essentialia, pervenit ad intelligentiam sensus uniuscuiusque loci. Notando postea idem

saepe dici in pluribus locis et eos locos comparando, sibi efformat conceptum de essentia illius eiusdemque rei quae alio et alio modo in locis diversis exprimitur et invenit terminos technicos ad illam exprimendam. Essentia talis sic inventa et expressa explicite in nullo loco Scripturae invenitur, at est fructus alicuius abstractionis, ope cuius tamen eadem doctrina ac quae continetur in Scriptura exprimitur, aliis tamen notionibus. Ordinando has notiones sic inventas habebitur systematica series conceptuum de nucleo doctrinali Sacrae Scripturae. Haec cognitio est nova intellectio, magis comprehensiva, eiusdem veri. Haec est prima exegesis systematica. (V.gr., P. Lombardus in Libro Sententiarum.)

3 *Tertius gressus*: si quis comparat inter se istos conceptus fundamentales ex intelligentia nuclei Sacrae Scripturae obtentos, statim detegit maxima problemata et difficultates. De Deo videt quod dicitur unus et trinus; de Christo quod est simul et homo et Deus; gratia non bene videtur quomodo cum libertate componatur. Incipit ergo secunda exegesis systematica: idem verum magis comprehensive cognoscitur, quia relationes inter eius diversos aspectus determinantur. Nascitur sic theologia systematica (v.gr., systematizatio theologica saeculi XIII).

4 *Quartus gressus*: animadvertitur quod accidentalia, a quibus quis praescindebat in secundo gressu, non sunt aliquid superfluum, sed maximi momenti ad intelligentiam profundiosem semper eiusdem veri. Quaeritur modus intelligentiae magis concretus simul et syntheticus. Multiplicantur investigationes positivae, attenditur ad minima elementa archaeologica, liturgica, linguistica, ascetica, historica ... Hoc est gressus erga quem tendit theologi XXI saeculi.

5 *Quartus gressus non est ultimus*: tempus erit in quo theologia simul tum magis comprehensiva et synthetica, tum magis concreta (ex acquisitis synthesibus historicis quarti gressus) fiet. Attamen synthesim illam ne exigamus ante quam sit possibilis: methodus nondum satis evoluta est quae sit apta tali investigationi. Unde maxime nostris temporibus requiritur patientia – secus facillime erratur, ut erravit S. Anselmus maximo ingenio praeditus, qui difficillimis omnibus quaestionibus seductus solutionem invenire voluit tempore quo adhuc deerant fundameta conceptualia ad hoc necessaria. Tantum post 75 annos veniet Petrus

Lombardus, qui colliget documenta necessaria ad novas exigentias systematicas. Simile quid dici potest de praematuris doctrinis Abaelardi. Istorum auctorum doctrinae hodie penitus deseruntur eo quod nimis praemature elaboratae sunt. Eorum momentum tamen est in influxu in contemporaneos ad methodos aptas excolendas novis exigentiis humanae cogitationis magis accommodatas et quibus semper idem verum intelligitur sed modo semper magis comprehensivo.

Sic de cognitione theologica potest dici quod dicitur de cognitione angelorum. Quae inveniuntur in angelis secundum hierarchiam, quod scilicet idem verum superiores intelligunt per pauciores species cognitionem magis comprehensivam ipsis comparantes, in hominibus accidit secundum successionem historicam.

Conclusio de evolutione dogmatica

Sic ostensum credere possumus quod supra asserebatur, scilicet duplicem esse motum historicum circa dogmata: alterum *transculturalem*, qui semper inde a primo Concilio Hierosolymitano debet fieri (et hac ratione fiunt et schola missiologica et semper novae adaptationes missionariae) et alterum *theologicum*, contra quem saepe multi luctabunt, quia videtur corrumpere – ut aiunt – genuinam veritatem Evangelii. Quando tantum motus transculturalis asseritur tunc incidimus in relativismo dogmatico, quod iterum ab encyclica ‘Humani generis’ (1950) damnatum est. Evolutio dogmatica, uti vidimus, implicat non tantum transitum ex eo quod est primum quoad quosdam homines ad aliud quod est primum quoad alios, alius temporis, loci, culturae ..., *sed etiam* ad aliquid quod est *primum quoad se* et quod nobis antea ignotum vel minus notum erat. Hic est ascensus proprie theologicus.

Circa talem ascensum theologicum haec dicenda sunt:

1 Est necessarius ex ipsa constitutione Ecclesiae catholicae. Quod est primum quoad se dependet a nullo priori culturali. Unde transitus faciendus erat ad expressionem universaliorem et magis abstractam, ne christianus fieri deberet orientalis.

2 Non intentione hominum factus est et fit, sed intentione divina. Nam vera dogmatum evolutio cognoscitur tantum postquam facta est. Ex hoc provenit infallibilitas ascensus, qui assistentia Spiritus Sancti perficitur.

3 Eius necessitas non adfuit tantum in conditione initiali Ecclesiae, sed semper adest. Et de facto talis ascensus semper datur in Ecclesia ex eo quod in quinque continentibus, inter tot et tam dissitas culturas idem verum eodem modo creditur et proclamatur.

4 Progressus theologicus, quamquam respondet ipsi structurae cognitionis humanae, profundo tamen differt a progressu scientiarum naturalium.

5 Haec cognitio theologica dogmatum nobis comparare potest intelligentiam et sapientiam illam mysteriorum quam Concilium Vaticanum exoptat (DB 1796).

6 Applicatio eorum quae hucusque dicta sunt ad crism trinitarium saeculi IVⁱ

Ratio profunda crisis arianae, quae ecclesiam saec. IV totam excussit, fuit, quod non pari gressu factus est ascensus ad priora quoad se circa Deum et circa Christum. Celerius ascensus factus erat circa Deum; lentius circa Christum.

Conceptus Dei enim evolvebatur per transitum ex notione Dei secundum attributa relativa ad aliquam notionem (cfr. canticos NT), ad notionem secundum attributa relativa ad omnes homines, seu universalia (Paulus). Problema de Deo maiori sollicitudine considerabatur, quia pagani, praesertim philosophi, deridebant anthropomorphismos Veteris Testamenti, in quibus purificandis Apologetae et primi Patres maxime laboraverunt perveniendo, sub influxu philosophiae graecae et hellenisticae, ad definiendum Deum secundum attributa vel absoluta vel relativa universalia.

Progressus tamen factus est etiam circa conceptum Christi.

Christus initio erat individuus notus apostolis, turbis, scribis et doctoribus iudaeis (Synoptici). Deinde erat homo qui e morte surrexerat, salvator, iudex vivorum et mortuorum, sedens a dextris Dei: *kyrios*, Dominus, nomen quod in VT erat peculiare Dei (Paulus, Symbolum

apostolicum). Speculationes de *logos* circa Eum fiunt (Johannes) praesertim apud Patres Apologetae; dicitur etiam Deus, sed non clare cogitatur quo sensu Deus sit, quo sensu intelligendae sint quae dicuntur de Christo. Sufficit adhuc cognitio humana ordinaria. Immo in multis scriptoribus, sicut in Iustino et Origine quaedam elementa inveniuntur subordinationismi. In Concilio Nicaeno tandem positum est illud unum, primum quoad se (*homoousion*) per quod multa quae de Filio dicebantur exacte intelligi possent.

Evolutiones tamen cogitationis circa notionem Dei et Christi non aequales fuerunt, unde orta est quaestio saeculi IVi: utrum Christus ille sit et ipse Deus. Quia enim notio Dei iam efformabatur secundum attributa absoluta, difficile videbatur admittere Deum habere filios, et potius hoc putabatur residuum ex mythis paganorum. Sic prima vice data est occasio rationalismo impugnandi divinitatem Christi et postea Spiritus Sancti. In saeculo IV rationalistae fuerunt Ariani, Enomiani, etc.

At praeter motum rationalisticum factio *traditionalistica* crisis causavit; ut saeculo IV quis iustificare posset Christum esse Deum, debebat adhibere, loquens de Christo, conceptus saeculi IVi quibus utebantur adversarii divinitatis Filii. Neque sufficere poterat uti tantum verbis quae inveniabantur in Sacra Scriptura et circa quae nulla quaestio orta esset cum Arianis. Iam non erat possibile sistere in prima intelligentia illarum verborum; maior intelligentia magisque comprehensiva requirebatur. Hac ratione Athanasius proposuit introductionem vocis *homoousion* in Symbolo fidei, per modum exceptionis.

Quia enim crisis oriebatur ex inaequali evolutione duarum conceptionum, solutio invenienda erat non in reditu ad praeterita, sed in acceleratione evolutionis conceptuum de Christo. Unde introducta est nova vox systematica in Symbolo.

Tunc autem explosit oppositio traditionalistica ex parte plurimorum qui minime dubitabant Christum esse Deum et tamen renuebant acceptare ut de fide vocem non contentam in Sacra Scriptura. Haec oppositio contra Nicaenum fuit multo fortior et diffusior quam oppositio ariana, eo magis quo magis boni catholici, et sancti, et episcopi ita sentiebant. Sic ortae sunt divisiones sine fine inter Arianos et Semiarianos, multi ex quibus tamen numquam ariani fuerunt

sed tantum traditionalistae conservativi. Per 60 annos disputationes fere innumerae factae sunt de divinitate Christi, innumera concilia, innumerae formulae fidei; et tamen ratio incertitudinis illius non fuit rationalismus quidam repente sparsus in Ecclesia, sed gravissimum problema de evolutione dogmatis: nolebant voces technicos introducere in Symbolo.

Complexitas huius quaestionis, et in genere quaestionis de evolutione dogmatum, prae oculis est habenda quando theses theologicas ex Scriptura probare incipimus; iidem enim errores, rationalismus scilicet et traditionalismus hodie repetuntur.

Alii enim (traditionalistae anachronistici), tot quaestionibus omissis, putant posse dari a NT ad Nicaenum, et generatim a modo loquendi Scripturae ad modum conciliorum, transitum directe et technice syllogisticum deductivum, quasi Evangelistae potuissent loqui suis auditoribus sicut Patres debuerunt loqui fidelibus saeculi IVi.

Revera non agitur de deducenda consubstantialitate Filii ex NT secundum technicum processum stricte syllogisticum: nam in syllogismo nullus terminus est in conclusione qui non sit in praemissis. In NT nullibi *homoousion* invenitur. In NT et concilio invenitur idem non simpliciter, sed alio et alio modo, secundum aliud prius. Eadem est enim divinitas Christi in NT affirmata secundum cognitionem ordinariam; in Concilio secundum cognitionem speculativam.

Unde probandum est utrum conceptus Christi quod habetur in NT proportionem dicat conceptui Dei scripturistico sicuti conceptio nicaena Christi proportionem dicit conceptui quod saec. IV de Deo habebatur.

Alii e contra (rationalistae, modernistae, liberales), ex eo quod impossibilis est supradicta technica deductio, tenent in Nicaeno aliquid plus supra scripturam illegitime additum esse. Nos autem, probando consubstantialitatem Filii ex Scriptura, non repetimus easdem res aliis verbis, sed facimus transitum ex eo quod est prius quoad nos ad id quod est prius quoad se, ex multis per quae semper idem unum dicitur, ad illud unum quod multa dicit.

Qui nimis facilis est in inveniendis terminis conciliaribus in Scriptura inducit alios ad negandam legitimitatem et validitatem processus. Communem habent radicem oppositi errores, et *rationalisticus* et *traditionalisticus*, unde sola doctrina catholica est revera *progressista*!

Obiectio: dato momento contextus culturalis revelationis dici potest si in alia cultura fuisset facta Incarnatio, alia esset revelatio, unde et alia dogmata.

Respondeo: Aliud verum revelatum fuisset *substantialiter*, nego; *accidentaliter*, concedo: nam differentia culturalis implicat differentias accidentales.

Idem verum alio modo revelatum fuisset. Concedo, tamen cum reservatione: nam supponenda esset semper praeparatio ex parte Dei (quae apud populum Israel per 20 saecula protracta est) quae influisset in cultura populi electi. Alio modo tamen actuata esset annuntiatio et praeparatio Incarnationis.

Consequentia tamen non tangit dogmata seu ea quae sunt priora quoad se, quia differentiae tangerent ea quae sunt, vel essent, priora quoad nos.

Explico:

1 *Diversitas inter scientias naturales et historiam:* Scientiae naturales sunt nunc eadem in quinque continentibus. Non obstantibus differentiis culturalibus omnes cogitant eodem modo de re mathematica, physica, chemica ... Unum idemque intelligitur, eodem modo cogitatur, concluditur ...

Historiae nationum sunt diversae secundum auctores, quia singuli res exponunt secundum 'interesse' singulorum coetum lectorum. Insuper in historia agitur de concretis: minus ergo momentum habent conceptus abstracti et propositiones per se evidentes quam sentimenta, imagines, figurae ... quae omnia involvuntur in relativitate culturali. Cfr. difficultatem et impossibilitatem vertendi in linguam latinam, v.gr., metaphoras proprias nostrarum linguarum nationalium.

Ratio facti: haec diversitas inter scientias naturales et historiam ex eo provenit quod scientiae necessario tendunt ad prius quoad se, non ad id quod sentitur (v.gr., in determinanda massa, temperatura ...), sed ad id quod est. Abstrahendo ab illo quod est prius quoad nos obtinetur aliquid quod non mutatur mutatione sensationum, vel mutatione culturae.

Eundem ascensum ad prius quoad se historicus partim non potest, partim not audet facere. De concretis enim loquentes, uti debemus sensibus ad ea cognoscenda. Historicus non

ponit praenotiones abstractas, sese adaptat lectoribus. Habetur proinde relativitas quaedam, quia de concretis difficillimum est exprimere quod est prius quoad se. Ad hoc faciendum historicus deberet solvere omnes quaestiones philosophicas de historia antequam historiam scribat, seu numquam scriberet. Quare dum philosophi disputant inter se, historici scribing, cum aliquo tamen elemento sceptico-relativistico in suis compositionibus. Practice hoc saepe est melius, quia experientia nimis demonstrat historicos qui sequi voluerunt theoriam quandam philosophicam ad historiam scribendam, peius opus fecisse quam alios. In historia ergo non tam facile intelligitur modus quo debeat fieri ascensus ad priora quoad se, qui tamen deberet fieri, quantum possibile est!

3 Applicatio ad rem nostram: Inde a saec. XIX habemus exegesim scripturasticam in lumine historiae excultam. Inde exortae sunt series interpretationum inter se maxime diversae; multiplicatae sunt scholae biblicae ita ut fere tot sint opiniones quot homines; et quia sub historia latent philosophiae, ex introductione philosophiarum in exegesim habitum est aliquid magis adhuc absurdum. Schemata philosophica imposita sunt Sacrae Scripturae. Hoc accidit apud Hegel, hoc hodie apud Bultmann, qui vult demythologizare christianismum: hoc conamen, notat quidem auctor anglicanus, facit Christum asseclam Martini Heidegger!

Motus autem theologico-dogmaticus fuget relativitates culturales quaerendo quod est primum quoad se et proficiscendo a vero iam aliquomodo sufficienter noto. Quaestiones quae fiunt in hoc transitu sunt quaestiones de ente aut non ente (existentia historica Iesu), de ente finito aut infinito (divinitas Christi), de eodem aut de alio (distinctio personalis Filii a Patre). Omittuntur omnia vitalia elementa, quae quidem maxime conferunt ad vitalem intussusceptionem revelationis; attamen pertinent potius ad methodum evangelizationis quam theologiae. Vitatur sic relativismus et pervenitur ad aliquid prius quoad se, ad aliquid catholicum, ita ut nihil amplius referat ex cultura in qua facta sit revelatio.

Respondere ergo possumus obiectioni: etiamsi in alia cultura facta esset Incarnatio et Revelatio, tamen eadem dogmata haberemus!

De Divinitate Spiritus Sancti

Spiritum Sanctum esse personam divinam a Patre Filioque distinctam concluditur ex evangelis synopticis et Actibus apostolorum et ex epistolis sancti Pauli.

(Cfr. Boyer, 1959, pp. 19-28.)

Conspectus generalis

1 spiritus in VT: 'Ruah,' 'pneuma'

in NT: 'pneuma'

2 Spiritus Sanctus in NT in genere

3 Textus peculiaris ex Evang. Mt. 28.12

4 Argumentum globale ex NT de divinitate Spiritus Sancti. Obiectiones

5 'Pneuma' apud Paulum

6 De vita 'in spiritu' apud Paulum (analysis 1 Cor. 12)

7 Argumentum divinitatis Spiritus ex Paulo. Obiectiones

1 Nomen Spiritus

a In Vetere Testamento = Ruah

Usus profanus: (1) ventus, aer, halitus, motus; (2) principium vitale (praesertim vitae sensitivae; cfr. Ps. 102.29; (3) animus hominis (venti variabilia instar), varii motus, animus ut sedes affectuum (cfr. Zorell, *Lexicon Hebr.*⁷). Dubium est utrum indicet aliquando substantiam spiritualem.

Usus sacer: Ruah YHWH

Anthropomorphice de alitu, de respiratione Dei, eo quod Iahweh Iudeorum est Deus semper vivens et consequenter semper respirans. Cfr. vg. Ex. 15.8: 'in flatu narium tuarum ...'; 2 Sam. 22.16; Ps. 18.16.

Munera Spiritus Iahweh:

1 *Munus cosmologicum:*

vitam rebus communicat: Gen. 1.2; ‘Spiritus Iahweh ferebatur super aquas’ (disputant de interpretatione danda);

modo speciali de vita hominis disponere videtur; Spiritus Iahweh per nares hominis transit, eique viam communicat. Gen. 2.7, 6.3, 6.17, 7.15; est igitur fere causa vitae.

2 *Virtus divina quae producit in hominibus affectus prodigiosos:*

ordinis transeuntis, gesta nempe fortitudinis, virtutis, exaltationis propheticae;

fortitudinis, vg. Jdg. 14.6: ‘... irruit autem *Spiritus Domini* in Samson, et dilaceravit leonem, quasi haedum in frustra discerpens, nihil omnino habens in manu’;

de motibus animae, vg. 1 Sam. 11.6-7: ‘Et insilivit *Spiritus Domini* in Saul, cum audisset verba haec, et iratus est furor eius nimis. Et assumens utrumque bovem concidit in frustra.’

de exaltatione prophetica, etiam falsa: vg. 3 Reg. 22.20-22: ‘... et ait Dominus: Quis decipiet Achab, regem Israel ... Egressus est autem spiritus, et stetit coram Domino, et ait: ego decipiam illum. Cui locutus est Dominus: In quo? Et ait ille: Egrediar, et ero *spiritus mendax* in ore omnium prophetarum eius. Et dixit Dominus, decipies et praevaleris; egredere et fac ita.’ (Tunc non agitur de Spiritu Iahweh, sed de spiritu a Iahweh indirecte dependens.)

ordinis permanentis: Spiritus communicat individuis potentiam quandam supernaturalem quae diversimode manifestatur:

sic Joseph somnia interpretatur quia in ipso est spiritus Elohim; Gen. 41.38: ‘Num invenire poterimus talem virum, qui spiritu Dei plenus sit?’

sic de Josue; Num. 27.18: ‘dixitque Dominus ad eum: toll Josue, filium Nun, virum in quo est spiritus’;

sic etiam de David, de Elia et Elisee (2 Reg. 1.9, 2.9-19);

at praesertim tempore Prophetarum conceptus ille in scriptis prophetis perspicue manifestatur. Vg. Mich 3.8: ‘verumtamen ego repletus cum fortitudine spiritus Domini.’

Generatim semper Spiritus Iahweh connectitur cum prophetia: cfr. Is. 30.1; Zach. 7.12; Neh.

9.30. Apud Ieremiam deest mentio spiritus, et hoc explicatur ex eo quod falsi prophetae illius temporis dicebant se habere spiritum Domini.

3 Saepe mentio fit de futura actione spiritus Domini:

in Messia:

Is. 11.2: ‘super ipsum requiescet Spiritus Iahweh, spiritus sapientiae et intelligentiae, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et timoris Domini.’

Sic Servus Iahweh ad misionem suam divinam rite adimplendam Spiritum Iahweh accipiet: ‘posui spiritum meum super eum, iudicium usque ad gentes exportabit’ (Is. 42.1; cfr. Mt. 12.18).

Is. 61.1-2: ‘Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me; ad annuntiandum mansuetis misit me, ut moderer contritis corde, et praedicarem captivis indulgentiam, et clausis aportionem; ut praedicarem annum placabilem Domino, et diem ultionis Deo nostro’ (cfr. Lc. 4.18).

in tota communitate messianica:

Ioel 2.28: ‘et erit post haec: effundam spiritum meum super omnem carnem; et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae; senes vestri somnia somniabunt, et iuvenes vestri visiones videbunt. Sed et super servos meos et ancillas in diebus illis effundam spiritum meum’ (cfr. Act 2.17).

Zech. 12.10, Ez. 36.26-27: ‘et dabo vobis cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri; et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri; et faciam ut in praeceptis meis ambuletis et iudicia mea custodiat et operamini’; Ez. 37 visio ossium aridorum ope Spiritu reviviscentium (non est autem certum agi in hoc textu de futura communitate messianica); Ez. 39.29: ‘et non abscondam ultra faciem meam ab eis, eo quod effuderim spiritum meum super omnem domum Israel, ait Dominus.’

b in Vetere Testamento: *pneuma in libro Sapientiae* (II-I sec. a. C.)

1 *Sensus fundamentalis vocis: aer, ventus, vel anima humana.*

2 *Sensus vocis apud Stoicos*: aer calidum, valde subtile, igni simile, residens praesertim in sphaera suprema sed etiam omnia penetrans, et in animatis animam constituens. Disputatur de eius relatione cum elementis; dicitur tamen capax cogitationis et vocatur ‘ignis artifex’ continens omnes rationes seminales, spiritus universalis, anima mundi.

Doctrina haec materialistica Stoicorum aliquam connexionem habet cum iis quae de *pneuma* inveniuntur in libro Sapientiae. De hac quaestione cfr. J. Lebreton, *Histoire du dogme de la Trinite I* (1927) 85-99; et G. Verbeke, *L’evolution de la doctrine du pneuma du Stoicisme a St. Augustin*. Paris, Louvain, 1945.

3 *Sensus vocis in libro Sapientiae*:

Anima humana, spiritus vitalis: saltem semel, 15.11, *pneuma zotikon*

Donum

ex parte Dei, 9.17: ‘Sensum sutem tuum, quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum Sanctum tuum de altissimis?’

quod habetur ex oratione ad Deum, 7.7: ‘Propter hoc optavi, et datus est mihi sensus; et invocavi et venit in me spiritus sapientiae.’

quod longe abest a peccatoribus, 1.5: ‘Spiritus enim sanctus disciplinae effugiet fictum ...’

fons scientiae naturalis, 7.17: ‘Ipse enim dedit mihi horum quae sunt scientiam veram ...’ et virtutum moralium, 8.7 ss: ‘sobrietatem enim et prudentiam docet, et iustitiam et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus’; 9.11 sq.: ‘scit enim illa omnia et intelligit et deducet me in operibus meis sobris, et custodiet me in sua potentia.’

constituens ‘amicos Dei et Prophetas,’ 7.27 (cfr. distinctionem inter gratiam gratis datam, et gratum facientem).

Ens quodammodo divinum:

replens orbem terrarum, 1.7: ‘Quoniam spiritus Domini replevit orbem terrarum; et hoc quod continet omnia, scientiam habet vocis.’ Expressio ‘hoc quod continet omnia’ est expressio

stoica quae hic partes spiritus explicat in cohaesione mundi; ‘scientiam habet vocis’ = intelligit ea quae ab hominibus dicuntur.

omnia potens et penetrans, ut per longam enumerationem describitur: 7.22 ss. Sermo est de sapientia, et dicitur quod ‘Est enim in illa spiritus intelligentiae, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil vetat, benefaciens, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, et qui capiat omnes spiritus, intelligibilis, mundus, subtilis.’ Attributa specificè divina sunt hic: sanctitas, omnipotentia, immutabilis.

universalis, 8.1: ‘... attingens a fine usque ad finem.’ Hic dicitur de Sapientia quae paulo supra (c. 7.22 s.) ostenditur ita connexa cum *pneuma* (*noeron*), ut fere cum illo identificetur. Cfr. *Bible de Jerusalem*, notam ad 7.22.

bonum et suave, 12.1: ‘O quam bonum et suavis est, Domine, spiritus tuus in omnibus!’ N.B. Vulgata non bene vertit graecum quod addit *aphthartos*: tu, cuius spiritus incorruptibilis in omnibus est.

emanans ex ipso Deo, ut videtur ex 7.25: Sapientia ‘vapor *pneuma* est enim virtutis Dei, et emanatio quaedam est claritatis omnipotentis Dei sincera.’

eligens opera Dei, 8.4: ‘Doctrix enim est disciplinae Dei, et electrix operum illius.’

Tamen etsi ponitur spiritus universalis et spiritus Domini nominetur, videtur quod intentio auctoris sit ponere symbolum aliquod divinae gubernationis et activitatis quae in mundo omnia immediate attingunt. Deus enim secundum mentalitatem auctoris immediate mundum creavit et gubernat. Cfr. 1.14, 9.1-9, 11.18, 11.24, 15,1, 16.24. Et speciali modo immediate agit Deus relate ad hominem. Cfr. 2.23, 6.7. Ideo bene Deus ex mundo cognoscitur. Cfr. 1.1-2, 13.1-10. Et spiritus non est mediator inter hominem et Deum, aliquid separans Deum a creaturis: tantum enim peccatum separat a Deo. Cfr 1.3.

Ad Spiritum describendum liber Sapientiae utitur aliquibus expressionibus a conceptione materialistica Stoicorum desumptis. Ad rem tamen advertendum est quod:

cum nostri conceptus a sensibilibus abstrahantur, signa seu verba quibus eos exprimimus generaliter desumuntur a rebus materialibus; quare, quando agitur de conceptibus maxime remotis a sensibilibus, ut accidit in divinis, comparandam terminologicam exactam et abstractam, seu purificatam ab omnibus contaminationibus;

hoc maxime evenit quando, ut in nostro casu, ad exprimendam aliquam notionem irreducibilem aliis notionibus, adhibetur terminologia quae in alio contextu culturali illius temporis iam ururpatur.

Unde, de ‘pneuma’ in Libro Sapientiae dicendum:

vel agitur de mero symbolo divinae gubernationis et activitatis seu divinae Sapientiae vel iam habemus adumbrationem aliquam illorum elementorum quae clarius in N.T. apparent. Cfr. Nota ad 8.22 in *Bible de Jerusalem*.

c in Novo Testamento: pneuma

Sex usus vocis in N.T.: Synopticis, Actibus Apostolorum, Epistolis catholicis.

N.B. De Spiritu in Evangelio S. Ioannis et praesertim in sermone ultimae coenae agemus in quaestione de processione Spiritus Sancti a Patre et Filio, loquentes de natura Spiritus Sancti.

Hic examen generale instituimus ad cognoscendum contextum litterarium e quo postea textus praecipui seligentur.

Spiritus designat:

1 *daemones*: sive sine epitheto, tunc e contextu innotescit eos malos esse; sive cum aliquo epitheto characteristico, ‘nequam,’ ‘immundus’

2 *animam, principium vitae sive qua separabile, sive qua separatum*

Jac. 2.26: ‘corpus sine spiritu mortuum est ...’; Jo. 19.30: ‘...tradidit spiritum’; Act. 7.59: ‘... Domine Iesu, suscipe spiritum meum’; Lc. 8.55: ‘Et reversus est spiritus eius, et surrexit continuo’; 1 Pet. 3.19: ‘... et his qui in carcere erant spiritibus veniens praedicavit’; Lc. 24.17: ‘existimabant se spiritum videre’; Act. 23.8: negatur a Sadducaeis materialistis

3 *principium internum cognitionis, gaudii, emotionis, vitae moralis*

Mc. 2.8: ‘Quo statim cognito Iesu spiritu suo’; Mc. 8.12: ‘Et ingemiscens spiritu ...’; Lc. 1.47: ‘Et exultavit spiritus meus ...’; Jo. 11.33: ‘Infremuit spiritu’; Jo. 13.21: ‘Turbatus est spiritu’; Mt. 5.3: ‘Beati pauperes spiritu’; Mt. 26.41: ‘Spiritus quidem promptus est’; Act. 18.25: ‘fervens spiritu’; Act. 17.16: ‘incitabatur spiritus eius in ipso’

4 principium externum – quod scrutari oportet

Lc. 9.55: ‘Nescitis cuius spiritus estis’; 1 Jo. 4.1: ‘Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint ...’;

principium externum – Dei donum

Lc. 11.13: ‘quanto magis Pater vester de coelo dabit spiritum bonum’; Jo. 3.34: ‘non enim ad mensuram dat Deus spiritum’

5 Alii usus, praesertim usus antithetici apud Ioannem

ventum, Jo. 3.8: ‘Spiritus ubi vult spirat ...’; halitus, quatenus est symbolum alterius realitatis, Jo. 20.22: ‘Insufflavit et dixit eis: Accipite spiritum sanctum ...’; antitheses inter spiritum et carnem, spiritum et litteram, Jo. 3.6: ‘Quod natus est ex carne, caro est; et quod natus est ex spiritu, spiritus est’; Jo. 4.23: ‘Adorabunt patrem in spiritu et veritate’; Jo. 6.63: ‘Spiritus est qui vivificat: caro non prodest quidquam’

6 Usus ad significandum Spiritu Sanctum

Impressio generalis: praeter hos quinque sensus, christiani primaevi cognoscebant existentiam alicuius spiritus sancti qui habebat munus maximi momenti in Ecclesia. Non est ideo inventio ad explicandos quosdam effectus, sed realitas distincta ab hominibus, ab animabus, a daemonibus, a Patre, a Filio, non autem distincta a Deo. Modo generali, aspiciemus quae in N.T., excluso s. Ioanne, de hoc Spiritu dicuntur.

2 Spiritus Sanctus in Novo Testamento in Genere

Notitia huius contextus nobis erit utilis ad intelligendum usum nominis Spiritus et proinde singula dicta ut cognoscamus quis sit ille de quo fit sermo in textu in quo innitemur ad probandum thesim nostram.

Spiritus sanctus nobis revelatur ut ille:

1 *qui locutus est per Prophetas: generaliter pro omnibus Prophetis*: 2 Pet. 1.21: ‘Non enim humana allata est aliquando prophetia; sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines’; *in particulari: de David*, Mt. 22.43: ‘David in spiritu vocat eum Dominum, dicens ...’; Mc. 12.36: ‘Ipse enim David dicit in (to) Spiritu (to) sancto ...’; Act. 1.16: ‘... oportet implere Scripturam, quam praedixit Spiritus sanctus per os David de Juda’; Act. 4.24: ‘qui Spiritu Sancto per os Patris nostri David, pueri tui, dixisti’; *de Isaia*, Act. 28.25: ‘Quia bene Spiritus sanctus locutus est per Esaiam prophetam ad patres nostros’; *de Elizabeth*, Lc. 1.41: ‘et repleta est Spiritu Sancto ...’; *de Zecharia*, Lc. 1.47: ‘repletus est Spiritu Sancto: et prophetavit ...’; *de Simeone*, Lc. 2.26 sq.: ‘... et Spiritus Sanctus erat in eo. Et responsum acceperat a (to) Spiritu (to) sancto ... et venit in (to) Spiritu ...’; *de Ioanne*, Lc. 1.15: ‘et Spiritu Sancto replebitur’; Lc. 1.80: ‘puer autem crescebat et confortabatur spiritu’; n.b. non est evidens omnes hos textus absoluto modo agere de Spiritu Sancto; tamen in genere in eis habetur certa allusio ad opus propheticum tamquam Spiritus Sancti;

2 *qui multipliciter in vita Jesu intervenit: in conceptione*: Lc. 1.35: ‘Spiritus Sanctus superveniet in te’ (posset tamen intelligi de potentia Dei); Mt. 1.18: ‘in utero habens de Spiritu Sancto’; Mt. 1.20: ‘quod in ea natum est de Spiritu Sancto est’; *in baptisate*: Lc. 3.22: ‘et descendit (to) Spiritus (to) Sanctus corporali specie sicut columba in ipsum’; cfr. Mt. 3.16, Mc. 1.10, Jo. 1.32-33; *ducit eum in desertum, et reducit in Galilaeam*: Lc. 4.1: ‘et agebatur a (tō) Spiritu in desertum’; cfr. Mt. 4.1 et Rom. 8.14; Lc. 4.14: ‘et regressus est Jesus in virtute (to) Spiritus in Galilaeam’; *est explicatio praedicationis Jesu*: Lc. 4.18: ‘Spiritus Domini super me: propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me ...’; prophetia (Is. 61.1 s.; 58.6) quam Jesus affirmat impletam (v. 21); Mt. 12.18: ‘ponam Spiritum meum super eum’; prophetia ex Is. 42.1-4; *exultare Jesum facit*: Lc. 10.21: ‘in ipsa hora exultavit (tō) Spiritu (tō) Sancto’; *cum*

potentia miraculosa Jesu connectitur, quia dicere quod Jesu miracula facit in Beelzebub, et est blasphemare Spiritum Sanctum; cfr. Mc. 3.21 sq. et Mt. 12.24-32; Lc. 11.15-22, 8. 19-21. Et Petrus ante Cornelium dicit, Act. 10.38: ‘quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto et virtute, qui pertransiit bene faciendo, et sanando omnes oppressos a diabolo’;

3 *qui promittitur Apostolis (et aliis) et eis datur: promissio Apostolis*, Mt. 10.20: ‘non enim vos estis qui loquimini sed Spiritus Patris vestri, quo loquitur in vobis’ (de futuris persecutionibus); cfr. etiam Mc. 13.11, Lc. 12.12; Act. 1.5: ‘quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu Sancto, non post multos dies’; Act. 1.8: ‘accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos’; *credentibus omnibus*, Jo. 7.37 sq. ad festum scenepegiae: ‘si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae. Hoc autem dixit de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum: nondum enim erat Spiritus datus, quia Jesus nondum erat glorifactus’; n.b. interpretatio huius textus non est facilis; *adventus Spiritus*: Act. 2.2-4: ‘et factus est repente de coelo sonus, tamquam advenientis Spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispersitae linguae tamquam ignis, seditque supra singulos eorum; et repleti sunt omnes Spiritu Sancto, et coeperunt loqui variis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illis’; Act. 2.14-21: explicite connectitur adventus Spiritus Sancti cum prophetia Joel, 3.1-5, in sermone Petri, v. 17: ‘... effundam de spiritu meo super omnem carnem ...’; Act. 2.33: ‘Dextera igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritus Sancti accepta a Patre, (Jesus) effudit hunc, quem vos videtis et auditis’ (nota realismum quo Petrus loquitur de Spiritu Sancto);

4 *qui dirigit apostolos et modo fere aperto regit Ecclesiam*; cfr. Actus Apostolorum dici possunt Evangelium Spiritus Sancti; *dirigit Apostolos*: Act. 4.8: ‘tunc repletus Spiritu Sancto Petrus dixit ...’; 8.29: ‘dixit autem Spiritus Philippo ...’; 8.39: ‘Spiritus Domini rapuit Philippum’; 10.19: ‘Petro autem cogitante de visione, dixit Spiritus ei’; 11.12: ‘Dixit autem Spiritus mihi (Petro) ut irem cum illis, nihil haesitans’; 13.9: ‘Paulus, repletus Spiritu Sancto ...’; *regit Ecclesiam: eligit sibi ministros*, 13.2: ‘dixit illis (principibus ecclesiae Antiochiae) Spiritus Sanctus: segregate mihi Saulum, et Barnabam in opus, ad quod assumpsi eum’; *eos mittit*, 13.4:

‘et ipsi quidem missi a Spiritu Sancto abierunt Seleuciam; et inde navigaverunt Cyprum’;
decernit in Concilio Hierosolimitano, 15.28: ‘visum est enim Spiritui Sancto, et nobis’; *discernit loca praedicationis*: 16.6-7: ‘Transeuntes autem Phrygiam, et Galatiae regionem, vetati sunt a Spiritu Sancto loqui verbum Dei in Asia. Cum venissent autem in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam: et non permisit eos Spiritus Iesu’; 19.21: ‘... proposuit Paulus in Spiritu, transita Macedonia et Achaia, ire Ieroselymam’; *praedicat Apostolis futura, et Christiani hoc sumunt tamquam rem ordinariam*, 20.22-23: ‘et nunc alligatus ego Spiritu, vado in Ierusalem: quae in ea ventura sunt mihi ignorans: nisi quod Spiritus Sanctus per omnes civitates mihi protestatur, dicens: quoniam vincula et tribulationes Hierosolymis me manent’; 21.4: ‘qui Paulo dicebant per spiritum ne ascenderet Jerosolyam’; 21.11: ‘...Agabus. Hic cum venisset ad nos, tulit zonam Pauli: et alligans sibi pedes et manus dixit: haec dicit Spiritus Sanctus, virum, cuius est zona haec, sic alligabunt in Jerusalem Iudaei et tradent in manus gentium’; *ponit Episcopos*, 20.28: ‘Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo’;

5 qui aliis etiam datur: modo generali omnibus: per baptismum, Act. 2.38: ‘Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum; et accipietis donum Spiritus Sancti’; *per confirmationem*, 8.15: ‘... oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum’; 8.17: ‘tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum Sanctum’; 8.19: ‘... ut cuicumque imposuere manus, accipiat spiritum sanctum’; 9.17: ‘... ut videas et implearis Spiritu Sancto’; 11.16: ‘... vos autem baptizabimini Spiritu sancto’; 19.2: ‘Si Spiritum Sanctum accepistis credentes?’; 19.6: ‘Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus super eos’; *in particulari de quibusdam dicitur: de Iudaeis*, 4.31: ‘Et cum orasset, motus est locus, in qui congregati erant: et repleti sunt omnes Spiritu Sancto’; 6.3: ‘In electione Diaconorum: “Considerate ergo Fratres, vires ex vobis boni testimonii septem, plenes Spiritu sancto’; *de Stephano*, 6.5: ‘Virum plenum fide et Spiritu Sancto’; 7.55: ‘Cum autem esset plenus Spiritu Sancto ...’; *de Paulo*, 9.17: Ananias ‘dixit: Saulo, frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas et implearis Spiritu Sancto’; *de gentibus*, 10.44

sq.: ‘Adhuc loquente Petro verba haec, cecidit Spiritus Sanctus super omnes, qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circumcissione fideles, qui venerant cum Petro: quia et in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est ... “qui Spiritum Sanctum acceperunt sicut et nos?”’ (hoc factum fuit maxima confirmatio pro missione ad gentes); 11.15: ‘Cum autem coepissem loqui, cecidit Spiritus Sanctus super eos, sicut et in nos in initio’; *de Barnaba*, 11.24: ‘vir bonus et plenus Spiritu Sancto’; *de Agabo*, 11.28: ‘significabat per Spiritum’; *in concilio Jerosolymitano*, 15.8: ‘Et qui novit corda Deus testimonium perhibuit, dans illis Spiritum Sanctum, sicut et nobis ...’; *de civibus Ephesii*, 19.6: ‘... venit Spiritus Sanctus super eos’;

6 qui intime connectitur cum toto opere apostolico: cfr. paragraphum 4 [qui dirigit Apostolos ...]; hic notamus aliquid magis generale; *mentiri Petro est mentiri Spiritui Sancto et Deo*, Act. 5.3: ‘Dixit autem Petrus: Anania, cur tentavit satanas cor tuum mentiri to Spiritui Sancto’; 5.4: ‘Non es mentitus hominibus sed Deo’; 5.9: ‘Quid utique convenit vobis tentare Spiritum Domini?’ (implicite affirmatur aequalitas inter Spiritum Sanctum et Deum); *Spiritus Sanctus testis est una cum Apostolis*: 5.32: ‘Et nos sumus testes horum verborum et Spiritus Sanctus, quem dedit Deus omnibus oboedientibus sibi’; *disputat simul cum Stephano contra quosdam de Synagoga*: 6.10: ‘... disputantes cum Stephano: et non poterant resistere sapientiae et Spiritu, quo loquebatur’; *et resistunt principes sacerdotum*: 7.51: ‘Dura cervice, et incircumcisis cordibus, et auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis, sicut Patres vestri, ita et vos’; *replet Ecclesiam consolatione*: 9.31: ‘Ecclesia quidem per totam Judaeam et Galilaeam et Samariam habebat pacem, et aedificabatur ambulans in timore Domini et consolatione Sancti Spiritus replebatur’; 13.52: ‘Discipuli quoque replebantur gaudio, et Spiritu sancto’; *intime connectitur cum administratione sacramentorum praesertim baptismi, et confirmationis*; cfr. locos allatos sub paragrapho 5.

3 Textus Peculiaris ex Evang. Mt. 28.19: ‘Poreuthentes oun mathēteusate panta ta ethnē, baptizantes autous eis to onoma tou patros kai tou huiou kai tou hagiou pneumatou.’

Authentia loci: Quoad obiectiones cfr. Boyer 1949 pp. 22-25. Longior explanatio apud Lebreton: *Hist. du dogme de la Trinité*, t. 1; nota E; ed. 6; pp. 559-610.

Duo sunt notanda: (1) Locus invenitur in omnibus codicibus. Nullum dubium de canonicitate et inspiratione. (2) Fundamentum positivum obiectionis principalis est quod in suis operibus prioribus (ante 325) Eusebius Caesariensis Textum sic citare videtur: ‘euntes docete omnes gentes *in nomine meo*’ (cfr. Demonstr. Evang. Lib. III, c. 16) et tres personae divinae non nominantur. Cfr. Conyberare, ‘The Eusebian form of the text Mt 28.19,’ *Zsch. Für N.T. Wiss.* 1901.

Respondemus: Si fuisset illo tempore dubitatio de valore huius textus, Ariani et Patres scivissent, et ideo Patres inutiliter hunc locum adhibuissent contra illos (uti fecerunt saepius Athanasius, Hilarius ...)

Explicatio loci

1 *De significatione expressionis eis to onoma, ‘in nomine’:*

In NT interdum habetur ‘nomen’ pro ipsa re vel persona. Act. 1.15: ‘erat autem turba hominum (graece *onomatōn*) simul’; Apc. 3.4: ‘sed habes pauca nomina in Sardis’; Apc. 11.13: ‘et occisa sunt in terrae motu nomina hominum septem millia’; usus tamen iste remotus est ab usu nostri loci.

Onoma invenitur variis praepositionibus: *epi, eis, en, dia*, vel in simplici dativo; sed in NT usus praepositionum est sat liber.

Ex comparatione cum similibus expressionibus agnoscitur in nostra triplex sensus: agitur vel de potestate personae in cuius nomine aliquis agit, vel de motivo seu fine alicuius actionis, vel de relatione proprietatis per modum consecrationis seu subiectionis.

a *in potestate*, Act. 3.6: sanatio Claudii a Petra facta: ‘Argentum et aurum non est mihi: quod autem habeo hoc tibi do: in nomine (en tō onomati) Jesu Christi Nazareni surge, et ambula’; sensum expressionis interpretantur iidem Actus 3.12-16: non ‘nostra potestate aut

pietate' (n.b. Vlg. parum exacta est) sanatus est homo sed 'per fidem in nomine (auctoris vitae), nomen Eius confirmavit hunc quem vos vidistis et nostis'; Mc. 9.38: 'Magister, vidimus quendam in nomine (en tō onomati) tuo eicientem daemona ... Nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo (epi tō onomati) et possit cito male loqui de me';

b *motivum*, Mc. 9.37: 'Quisquis unum ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo (i.e. propter me) me recipit'; Mc. 9.41: 'Quisquis enim potum dederit vobis calicem aquae in nomine (en onomati) meo, *quia* Christi estis: amen doci vobis, non perdet mercedem suam'; Mt. 10.41: 'Qui recipit prophetam in nomine (eis onoma) prophetae ... qui recipit iustum in (eis) nomine iusti ... quicumque potum dederit ... in (eis) nomine discipuli'; *motivum* (glorificatio) specificatur in Col. 3.17: 'Omne, quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in (en) nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo et Patri per ipsum'; textus explicatur per 1 Cor. 10.31: 'omnia *in gloriam* Dei facite.'

c *relationes proprietatis, dedicationis, consecrationis, subiunctionis*, 1 Cor. 1.12-15: 'Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli: ego autem Apollo: ego vero Cephae: ego autem Christi. Divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis? Aut in (eis) nomine Pauli baptizati estis? Gratias ago Deo, quod neminem vestrum baptizavi, nisi Crispum, et Caium: ne quis dicat quod in (eis) nomine meo baptizati estis'; Act. 19.3: 'In quo (eis ti) baptizati estis? Qui dixerunt: in Joannis baptismate. Dixit autem Paulus: Joannes baptizavit baptismate poenitentiae populum, dicens: in eum qui venturum esset post ipsum, ut crederent, hoc est in Jesum. His auditis, baptizati sunt in (eis) nomine Domini Jesu'; sensus videtur: in cuius honorem consecratio vestra per baptismum facta est? In casu baptismatis, sacramenti fundamentalis, triplex sensus invenitur simul: causa efficiens collationis gratiae est Trinitas; causa finalis (seu *motivum*) est gloria Trinitatis; denique, relatio proprietatis (ex parte Dei), consecrationis (ex parte nostra) exprimitur. *Unde*, in nostro textu Mt. 28.19, 'baptizare in nomine': primum dicit causam efficientem: per Trinitatem recipit baptizatus gratiam; dein exprimit causam finalem: Trinitatem ad cuius gloriam fit baptisma; tandem exprimit relationem consecrationis erga Trinitatem quae efficitur per renuntiationem Satanae.

2 De forma ipsa sub qua invenitur allusio ad tres Personas

Notanda repetitio et articuli (tou) et coniunctionis (kai). *Usus articuli in lingua graeca:* quando sunt duo diversa nomina et repetitur articulus agitur de duobus diversis subiectis; si articulus non repetitur significat quod sunt duo nomina eiusdem subiecti. Cfr. 1 Thess. 3.11, Act. 26.30, 1 Cor. 1.3, 3.8, Jo. 20.17. In nostro loco articulus ter repetitur, unde, ex usu graeco, quod etiam in N.T. invenitur, agitur de tribus distinctis.

4 Argumentum globale ex N.T. de divinitate Spiritus Sancti – Obiectiones

Argumentum

Obiectum probationis: ad probandum quod Spiritus Sanctus est tertia persona SS. Trinitatis, requiritur ut probetur quod ipse est: aliquid reale; divinum; distinctum a Patre et a Filio; personale. *Methodus probationis:* sumimus textum Mt. 28.19 non tamquam aliquid peculiare et unicum, sed quia et quatenus nobis praebet optimum receptaculum in quo simul coaptentur illa multa quae in Synopticis et Actibus Apostolorum dicuntur de Spiritu Sancto.

Pater et Filius sunt personae divinae, inter se aequales et tamen distinctae. Sed, in formula baptismi simul et distincte cum eis connumeratur Spiritus Sanctus. Ergo, etiam Spiritus Sanctus est persona divina sicut Pater et Filius, et simul a Patre et a Filio distincta.

Divinitas et personalitas Patris probatur in tractatu de Deo Uno. Divinitas et personalitas Filii probatur in tractatu de Verbo Incarnato. Momentum huius textus stat non tantum in connumerazione Spiritus Sancti cum aliis duabus personis, sed in eo quod hae aliae duae personae sunt distinctae et tamen eiusdem numerice substantiae. Tamen argumentum ex se solo non est absolute cogens, nisi intelligatur in luce contextus eorum quae in reliquo N.T. de Spiritu Sancto dicuntur. Unde alia requiritur notitia de Spiritu Sancto ex aliis multis locis desumpta quos, utique, noster textus synthetice recapitulat. Vis argumenti proinde stat in formula baptismi a Matthaео tradita (28.19) in toto N.T. intellecta. Unde, examinanda sunt quae refert N.T. de

quattuor illis gressibus qui constituunt obiectum nostrae probationis et quos peculiaris textus Matthaei iam innuit.

Spiritus Sanctus est aliquid reale

Sufficit notare generalem impressionem primorum christianorum prout nobis elucet ex lectione praesertim Actuum Apostolorum.

Spiritus Sanctus est aliquid divinum

ex nomine: frequentissime dicitur Spiritus Dei, vel Spiritus Patris vel Filii, ideo ponitur in ordine divino ut aliquid pertinens ad Deum. Cfr. 1 Cor. 2.11: ‘... ita et quae Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei’ qui igitur est aliquid valde intimum Deo sicut spiritus hominis est valde intimus homini; nam si quis est spiritus alicuius, pertinet ad illius realitatem. Praeterea, Spiritus Sanctus communissime enumeratur cum Patre et Filio;

ex opere: prophetiae: secundum N.T. prophetiae V.T. factae sunt per Spiritum Sanctum; sed prophetia est opus divinum, ideo etiam ille per quem facta est debet esse divinus; *interventus in vita Domini Nostri Jesu Christi*: nempe in conceptione, baptismo, actione, praedicatione, miraculis, vita ipsa intima; at Christus Deus est, ergo etiam ille qui intervenit debet esse Deus; *transformatio Apostolorum*, directio, gubernatio, confortatio sive Ecclesiae sive singulorum; apostoli autem maximam partem habent in nova oeconomia divina; omnia ista complexive indicant munus aliquod transhistoricum quod non potest esse a creatura aliqua, sed tantum a Deo;

ex factis particularibus: mentiri Petro et mentiri Spiritui Sancto et Deo idem est (Act. 5.3, 4.9); ideo implicite in hoc loco Spiritui Sancto nomen divinum tribuitur; si quis explicare conatur miracula Jesu ex interventu Beelzebub, blasphaemat contra Spiritum Sanctum (Mt. 12.31-32); vis argumenti in eo est quod gravius est peccare contra Spiritum Sanctum quam contra Filium hominis qui Deus est, ergo etiam Spiritus Spiritus est Deus; maior gravitas habetur ex eo quod in

Filio est etiam humanitas quae non est Deus, unde Christus non est pura omnino manifestatio Dei, ex eo quod importat aliquid finitum, dum Spiritus Sanctus est manifestatio purissima divinitatis; praescindimus a quaestione exegetica de explicandis locis parallelis quia sumimus textum Mattaei tamquam verbum Dei inspiratum.

Spiritus Sanctus distinguitur a Patre et a Filio:

ex connumeratione: in formula Baptismi quia ea quae non distinguuntur, nec connumerantur; *in baptisate Christi*, Mt. 3.16-17 (loc. par.): ‘Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua et ecce aperti sunt ei coeli: et vidit Spiritum Domini descendentem sicut columbam, et venientem super se. Et ecce vox de coelis, dicens: Hic est Filius meus dilectus in quo mihi complacui’; ubi Pater est qui loquitur, Filius ille de quo loquitur et Spiritus Sanctus apparet et venit supra Filium; *ex structura Revelationis: V.T.:* est revelatio Dei Patris, nam ille qui in V.T. Deus vocatur, in N.T. Deus Pater vocatur. Haec revelatio pergit in N.T. quia Filius saepissime loquitur de Patre; *Evangelia* directe agunt de Domino Nostro Jesu Christo prouti est Filius Dei; continent ergo revelationem Filii; *Actus Apostolorum* nobis narrant de Spiritu Sancto, prouti est Spiritus Dei qui promittitur et datur et operat in Ecclesia, eam gubernans et dirigens et accrescens; praebent ergo revelationem Spiritus Sancti; *ex locis particularibus:* Mt. 10.19 sq.: ‘Cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini, non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis’; Act. 2.33: ‘Dextera igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritus Sancti accepta a Patre, effudit hunc, quem vos videtis et auditis’; S. Petrus, de Spiritus diffusionem disserens, Jesum ut Deum considerat et dicit Jesum promissionem Spiritus a Patre accepisse et deinde Spiritum effudisse; quae clare distinctionem personarum significant.

Spiritus Sanctus est persona: nam ea quae propria sunt personae Spiritus manifestat; ideo non est attributum metaphysicum vel vis aut virtus divina; quamvis non habeamus definitionem

technicam Spiritus Sancti ut personae ei tamen tribuuntur munera quae soli personae tribui possunt. Etenim: *loquitur* per prophetas eosque *inspirat*: 2 Pet. 1.21 (cfr. etiam omnes locos ubi prophetae citantur); *loquitur* in fidelibus: Mt. 10.19 ss.; *dat eloqui* Apostolis: Act. 2.4; *ipse loquitur*: Act. 10.19, 11.12, 13.2, 22.11; *mittit* Apostolos: Act. 13.4; *iudicat et decernit*: Act. 15.28; *vetat* aliquid: Act. 16.6-7; *ponit* episcopos: Act. 20.28; *testificat* cum Apostolis: Act. 5.32.

Ergo, Spiritus Sanctus non est ens quo, sed ens quod et persona.

Conclusio

Formula illa finalis Evang. Mat. est revera aliquod receptaculum in quo optime confluunt omnia quae in Evangeliiis et in Actibus de Spiritu Sancto recitantur. Expressio ‘in nomine’ nobis dicit Spiritum Sanctum esse et distinctum (triplex articulus), et personam (cui dedicatur baptizatus), et divinum (in cuius gloriam fit dedicatio baptismalis). Praeterea exhibetur tota Trinitas.

Obiectiones

1 1 Jo. 5.8: ‘et tres sunt, qui testimonium dant in terra; Spiritus et aqua et sanguis: et hi tres unum sunt.’

Resp.: Obiectio optima esset si nostra probatio inniteretur tantum in facto duplicis coniunctionis in Mt. 28.19. Sed nos aliunde cognoscimus et probavimus Spiritum Sanctum esse personam distinctam, unde in luce omium coeterorum locorum et hic locus intelligi debet. Nam quandocumque duo inveniuntur simul, non statim concluditur ad identitatem naturae. Nos autem ad hanc identitatem pervenimus non tantum ex formula baptismi sed ex omnibus aliis locis in hac formula intellectis.

2 Jo. 3.5: cfr. Boyer p. 24

3 Apostoli baptizaverunt in nomine Christi, ergo mandatum quod refertur in Evangelio Mt non erat tam explicitum.

Comprobant obiectionem plures loci N.T.: cfr. Act. 2.38, 8.16, 10.48, 19.5, Rom. 6.1 ss., 1 Cor. 1.13, Gal. 3.27, et Denzinger cfr. nn. 47, 94, 335.

Resp.: Distinguendum est inter nomen illius in cuius potestatem, vel dedicationem, vel in cuius gloriam aliquis baptizatur, et formulam baptismi. Formula baptismi, tantum in nomine Christi collati, ut valida habita est (cfr. D. 335) secundum sententiam s. Ambrosii et Basilii et quorundam scholasticorum ut Hugonis a s. Victore et Petri Lombardi. Secundum ipsos tamen Christi appellatio intendere debet professionem totius Trinitatis, ita ut per nomen solius uncti, et ungens et unctio intendatur. S. Bonaventura et S. Thomas admiserunt hunc usum, sed tantum pro aetate primaeva Ecclesiae.

Verba Christi in mandata magis respiciunt significationem sacramenti baptismatis, quam ritum administrationis, numquam tamen fuit validum baptisma quod excluderet fidem Trinitariam.

Unde conclusio Apostoli baptizabant: excludendo Trinitatem, *Nego* (cfr. Act. 19.1 ss); - non nominando semper Ipsam, *Transeat*.

4 Ad argumentationem ex triplici coniunctione et articulo graeco dicitur quod textus graecus non est originarius, et quod originale aramaicum deperditum est, ideo non valet argumentum.

Resp.: Aut versio est vera, aut non: si primum, sensus plane determinatur, ideo argumentum valet; si secundum, dicere deberemus quod Deus inspiravit textum quod totaliter deperditus esset, et cuius unica versio falsa est. Quod falsum est. Praeterea notandum quod nostra argumentatio non tantum ab illo textu procedit.

5 Obiectionibus contra authenticitatem textus Mt 28.19 respondemus aliquem textum esse authenticum si inveniatur in omnibus codicibus et nullum adsit contrarium argumentum. Hic revera est casus nostri textus. Praeterea, ut obiectio contra hunc textum fit ex rationibus criticae 'internae' (scilicet ex impossibilitate talis clarae enuntiationis in Mt. tunc temporis, immediate post resurrectionem) idem responsum valeret ac pro obiectione sub n. 3, si reiceretur authenticitas. Cfr. Nota in Bible de Jerusalem ad Mt 28.19.

5 *Pneuma apud Paulum*

Sex genera significationum, praeter significationem de Spiritu Sancto:

1 *Halitus*: 2 Thess. 2.8: Dominus Jesus interficiet iniquum spiritu oris sui.

2 *Principium hominis internum*: (a) *generalis modo*, Rom. 1.9: Paulus servit Deo 'in spiritu' suo; 1 Cor. 6.18: Spiritus Pauli et Corinthiorum reficitur; sic spiritus Titi in 2 Cor. 7.13; Gal. 6.18: 'Gratia Domini Nostri Jesu Christi cum spiritu vestro, fratres, amen' (cfr. Phil. 4.23); Eph. 4.23: 'Renovamini autem spiritu mentis vestrae'; 1 Cor. 5.5: spiritus incestuosi salvus sit in die Domini; (b) *sensus determinatur quatenus opponitur spiritus, ad nous*: 1 Cor. 14.13 ss.: orare oportet et lingua et spiritu et mente; ad *soma*: 1 Cor. 7.34: virgo cogitat quae Domini sunt ut sit sancta in corpore et spiritu; ad *sarx*: 2 Cor. 7.1: oportet mundare se 'ab omni inquinamento carnis' et perficere 'sanctificationem spiritus in timore Dei'; Gal. 3.3: qui spiritu coepit non debet carne consummari (cfr. eodem sensu Gal 4.29); Phil. 3.3: 'nos enim sumus circumcisio, qui spiritu servimus Deo, et gloriamur in Christo Jesu, et non in carne fiduciam habentes ...'; 1 Cor. 3.3: Paulus locutus est Corinthiis quasi carnalibus, non spiritualibus; (c) *quatenus cum spiritu quaedam operationes connectuntur*, Rom. 12.11: 'Sollicitudine non pigri: spiritu ferventes ...'; 2 Cor. 4.13: 'Habentes autem eundem spiritum fidei ...'; Phil. 1.27: '... quia statis in uno spiritu unanimes ...'; Phil. 3.3: Christiani spiritu serviunt Deo.

3 *Usus metaphoricus*: (a) *de spiritu mundi, seu saeculi*, 1 Cor. 2.12: 'Nos autem non spiritum huius mundi accepimus'; Eph. 2.2: spiritus operatur in filios diffidentiae; (b) *de spiritu compunctionis vel stuporis*, Rom. 11.8: 'Dedit illis Deus spiritum compunctionis' (*katanuxeos* id est melius = stuporis); (c) *de spiritu servitutis (douleias)*, Rom. 8.15: 'non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore'; (d) *de spiritu mansuetudinis (prautētos)*, 1 Cor. 4.21: 'an in charitate, et spiritu mansuetudinis?'; Gal. 6.1: 'huiusmodi instruite in spiritu lenitatis ...' (e) *de spiritu erroris*, 1 Tim. 4.1: 'attendentes spiritibus erroris et doctrinis demoniorum'; (f) *de spiritu timoris (deilias)*, 2 Tim. 1.7: 'Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris: sed virtutis ...' (g) *de gladio spiritus* (quod est verbum Dei), Eph. 6.17: ubi loquitur de armatura christiani.

4 *Spiritus ut ens hypotheticum indeterminatum*, 2 Cor. 11.4: ‘Nam si is, qui venit, alium Christum praedicat, quem non praedicavimus, aut alium spiritum accipitis, quem non accepistis ...?’

5 *Spiritus significans charismata vel dona*, 1 Cor. 14.32: ‘et spiritus prophetarum prophetis subiecti sunt.’

6 *Spiritus ut vivificans*, 1 Cor. 15.45: ‘Factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in spiritum vivificantem.’

Praeter hos sensus apud S. Paulum habetur etiam clare sensus vocis *pneuma* qui indicat *ens reale, personale, divinum, a Patre et Filio distinctum*. Inter varios locos ubi Paulus de Spiritu Sancto loquitur, eligemus unum, tamquam centrum illuminandum per alios textus ita ut plenitudinem sensus percipere valeamus et probationem certam afferre possimus intelligendo Paulum non in lumine nostrorum conceptuum sed in luce ipsius Pauli.

6 De Vita ‘in Spiritu’ apud Paulum (Analysis 1 Cor. 12.1-13)

Contextus: S. Paulus a capite 12 usque ad 14 de spiritualibus rebus longiorem instructionem dat Corinthiis.

Praesuppositum: S. Paulus scribit christianis praesupponens illos cognoscere Spiritum sanctum. Cfr. Act. 19.1 ss.

Divisio materiae: 12.1-3: ‘ntentio Pauli loquendi de rebus spiritualibus; 12.4-11: distinctio fit inter Spiritum Sanctum et eius charismata; 12.12-31: analogia fundamentalis de corpore et de membris, de uno spiritu et de multis donis, quae analogia proponitur (vv. 12-13), exponitur (vv. 14-26), applicatur (vv. 27-31); cc. 13 et 14: comparatio inter charismata: laus caritatis tamquam optimi doni (c. 13), confrontatio inter prophetiam et glossolaliam, anteponitur prophetia.

Textus: v. 1: agitur de *tois pneumatikois*. Adiectiva in *-ikos* generatim significant causam.

v. 2: referentia ad statum ex quo gentiles transierunt ad fidem, ut etiam habetur in Rom. 1.18; 3.20, et in Eph. 2.1-13.

v. 3: *enuntiatur lex fundamentalis ad disgnosendum verum spiritum*, quia iam in primaeva ecclesia experientia docuit necessarium esse spiritus dignoscere. Idem criterium enuntiatur apud 1 Jo. 4.14. ‘Charissimi, nolite omni spiritui credere sed probate spiritus si ex Deo sint: quoniam multi pseudoprophetae exierunt in mundum. In hoc cognoscitur spiritus Dei: *omnis spiritus qui confitetur Jesum Christum in carne venisse, ex Deo est*: et omnis spiritus qui solvit Jesum, ex Deo non est ...’ (cfr. Phil. 2.11: ‘Dominus est Jesus.’ Vulgata tamen parum exacta; 1 Jo. 4.15). Et nemo potest dicere Dominus Jesus nisi in spiritu sancto.

Affirmatur necessitas gratiae et Spiritus Sancti ad confitendum quod Jesus est *kurios*, sicut aliter, sed in eadem linea dicitur apud Jo. 6.44, ‘nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum’ et Jo. 14.6, ‘Nemo venit ad Patrem nisi per me.’ Unde in 1 Cor. 12.3 affirmatur criterium ad disgnosendos spiritus secundum quod confiteantur Jesum esse Dominum.

vv. 4-6: *clara exhibitio Sanctissimae Trinitatis*: ‘Divisiones vero gratiarum sunt, *idem* autem Spiritus, et divisiones ministrationum sunt, *idem* autem Dominus, et divisiones operationum sunt, *idem* vere Deus, qui operatur omnia in omnibus.’ Unum idemque est Spiritus qui dat variis varia dona prout vult (cfr. v. 11). Frequenter apud Paulum inveniuntur textus ubi clare exhibetur Sanctissima Trinitas, cfr. Gal. 4.4-6: ‘Misit Deus Filium suum factum ex muliere ... ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis Filii misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater.’ Sic etiam Rom. 15.30: ‘Obsecro vos, fratres, per Dominum nostrum Jesum Christum et per caritatem Sancti Spiritus, ut adiuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum ...’ 2 Cor. 13.13: ‘Gratia Domini nostri Jesu Christi et caritas Dei, et communicatio (*hē koinōnia*) sancti Spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.’ Eph. 4.4 ss.: ‘Unum corpus et unus spiritus ... unus Dominus ... unus Deus et Pater omnium ...’

vv. 7-11: *Distinctiones inter diversa dona*, manifestationem Spiritus, et unicum Spiritum qua ea diversis personis dat. ‘*Kathōs bouletai*’ = prout vult, quod personalitatem indicat. v. 8, ‘sermo sapientiae,’ 1 Cor. 2.1-16: conditiones annuntiationis evangelii; Eph. 1.17: ‘... ut Deus ...’

det vobis Spiritum Sapientiae et revelationis in agnitione eius'; Eph. 3.10: 'ut innotescat principatibus et potestatibus in caelestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei'; 1 Cor. 2.16: 'Nos autem sensum Christi habemus'; 'sermo scientiae (Eph. 3.14-19). v. 9: 'fides' (cfr. totas epistolas ad Galatas et ad Romanos). '... gratia sanitarum' (cfr. Act. 14.8, 16.18, 19.13 ss., 20.7 sq., 28.4 sq., ubi de miraculis a Paulo patratis loquitur. v. 10: 'operatio virtutum' (*dunameōn*): hoc est praedicatio Evangelii non pendet a mediis humanis sed est manifestatio potentiae Dei. Cfr. 1 Cor. 2.5; 4.19-20; Rom. 15.18; 1 Thess. 1.5. Paulus vocat suum apostolatam ministerium Spiritus (*hē diakonia tou pneumatos*) secundum 2 Cor. 3.8: 'Quomodo non magis ministratio Spiritus erit in gloria?' et etiam 1 Cor. 3.9: 'Dei enim sumus adiutores.' vv. 12-13: *Opus quod per apostolatam obtinetur*: Corpus Christi Mysticum, ubi unitas et membrorum cum capite et inter se est in Spiritu Sancto. Cfr. Rom. 12.4-8. v. 13: 'Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus.'

Videamus quid significet esse et baptizari in uno spiritu.

Ingressus in illud unum corpus fit per baptisma quod inde a synopticis distinguitur a baptisate Joannis quia est in Spiritu Sancto (Mt. 3.11, Mc. 1.8, Lc. 3.16, Jo. 1.33, Act 1.5, 11.16, 19.2 sq.) Apud S. Paulum claram habemus doctrinam de baptismo: ad Titum 3.4 sq. 'Cum autem benignitas et humanitas apparuit Salvatoris nostri Dei: non ex operibus iustitiae, quae fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis et renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum: ut iustificati gratia ipsius, heredes simus secundum spem vitae aeternae.' (Eadem connexio inter baptisma et Spiritum Sanctum, principium lavacri regenerationis et renovationis.)

Consequentia baptismatis in uno spiritu est vita in unitate corporis qua omnes accessum ad Patrem habemus. Connexio datur inter *unum* Spiritum et *unum* corpus. Eph. 4.4-6: 'Unum corpus, et unus Spiritus sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes; et per omnia et in omnibus nobis.' Ubi clare etiam indicatur Sanctissima Trinitas. Vita religiosa est accessus ad Patrem per Filium in uno Spiritu: Eph. 2.18: 'per Ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem.'

Haec vita consistit in quadam transmutatione a statu anteriori ad statum abluti, sanctificati, iustificati. Quoad statum anteriorem cfr. Rom. 1.18 – 3.20, 1 Cor. 6.9-11: ‘An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare: neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt. Et haec quidem fuistis: sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini Jesu Christi, et in Spiritu Dei nostri.’

Auctor istius mutationis dynamicae, verae igitur et permanentis conversionis religiosae, est Spiritus. 2 Cor. 3.2-3: ‘Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quae scitur et legitur ab omnibus hominibus: manifestati quod epistola estis Christi, ministrata a nobis et scripta non atramente, sed Spiritu Dei vivi: non in tabulis lapideis sed in tabulis cordis carnalibus.’

Transformatio est non tantum aliquid mysteriosum et ontologicum at simul illuminatio mentis et libertas; hoc ostenditur per oppositionem ad statum in quo remanent Iudaei: 2 Cor. 3.14-18: ‘Usque in hodiernum enim diem, idipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non revelatum (quoniam in Christo evacuatur) sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum (scilicet Iudaeorum). Cum autem conversus fuerit ad Dominum, aufertur velamen. Dominus autem Spiritus est: ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu.’ Ubi gloria Domini = resurrectio, sessio a dextris Dei, glorificatio Messianica; transformatio autem christianorum pertinet ad Spiritum Domini.

Praesertim libertas a lege peccati. Gal. 1.4-5: ‘ut eriperet nos de praesenti saeculo nequam’; Gal 5.1: ‘Qua libertate Christus nos liberavit. State et nolite iterum iugo servitutis contineri’; Gal. 5.13: ‘Vos enim in libertatem vocati estis fratres ...’; Rom. 6.18: ‘Liberati autem a peccato, servi facti estis iustitiae’; Rom. 6.22: ‘Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vere vitam aeternam’; Rom. 8.2: ‘Lex

enim spiritus vitae in Christo Jesu liberavit me a lege peccati et mortis' (cfr. etiam v. 7); Rom. 7.24: 'quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.' Libertas provenit ergo a Christo sed accipitur per caritatem Spiritus Sancti.

Vera vita in Spiritu quae opponitur vitae in carne ut in evangelio Joannis dicitur: 'Nisi quis renatus fuerit ex aqua, et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est: et quod natum est ex spiritu, spiritus est.' 3.5-6 et clarius explicatur in capite 8 epistolae ad Romanos (vv. 5-17, longa comparatio inter esse in Spiritu et esse in carne) ut vita: *opposita* vitae in carne, quae est tamquam terminus quo transformationis per Baptisma et iustificationem in vitam, pacem, potentiam placendi Deo, quae omnia Paulus vocat 'esse in spiritu,' quod describitur per id quod 'Spiritus habitat in' christianis; quae inhabitatio est terminus ad quem transformationis, quae tamen non statice est concipienda, quia filii Dei Spiritu Dei aguntur. Ex hac inhabitatione aufertur infinitus abyssus inter Deum et homines quia hi acceperunt 'Spiritus adoptionis filiorum.' Et hoc scimus, per testimonium ipsius Spiritus spiritui nostro.

Transformatio ergo concretissimo modo a Paulo concipitur per influxum dynamicum Spiritus in vita christiana. Plura concreta exempla istius transformationis habentur in Actibus Apostolorum, in labore apostolico et in regimine Ecclesiae. 'Esse in Spiritu' illustratur etiam Eph. 4.17-24, Rom. 6.12-23, 8.5-11S. Paulus inhabitationem hanc Spiritus Sancti multipliciter describit' *Est ex baptisate*, Tit. 3.6: 'effudit abunde in nobis' sicut S. Petrus dixit die Pentecostes (Act. 2, speciatim v. 38); *ex auditu fidei*, Gal. 3.2: 'ex operibus legis Spiritum accepistis an ex auditu fidei?'; *tamquam in templo*, 1 Cor. 3.16-17: 'Nescitis quia templum Dei estis et Spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos'; *tamquam possessor*, 1 Cor. 6.19: 'An scitis quoniam membra vestra, templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis a Deo, et non estis vestri? Empti enim estis praetio magno'; hic momentum habet oppositio inter Deum et Spiritum Sanctum, et tamen aequalitas inter Deum et Spiritum Sanctum resultat ex comparatione cum 1 Cor. 3.16-17; *tamquam motor*, Rom. 8.14: 'Quicumque enim spiritu Dei

aguntur, ii sunt filii Dei'; *tamquam causans filiationem divinam*, Rom. 8.15: 'Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater'; *tamquam probatio istius filiationis*, Gal. 4.6: 'Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater'; *tamquam testificans filiationem*, Rom. 8.16: 'Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quod sumus filii Dei'; *tamquam adiuvans et postulans pro nobis dum in hac vita semper in medio ignoto versamur*, Rom 8.26-27: 'Similiter autem et Spiritus adiuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inerrabilibus. Qui autem scrutatur corda, scit quid desideret Spiritus: quia secundum Deum postulat pro sanctis'; *qui contristari potest*, Eph. 4.30: 'Et nolite contristare Spiritum Sanctum Dei, in quo signati estis in diem redemptionis'; *et extinguere*, 1 Thess. 5.19: 'Spiritum nolite extinguere'; *qui est primitia vitae aeternae in nobis*, sicut Christum primitia dormientium, Rom. 8.23: '... et nos primitias Spiritus habentes'; 2 Cor. 1.22: 'et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris'; *et pignus hereditatis nostrae*, 2 Cor. 5.5: 'Qui autem efficit nos in ipsum hoc, Deus, qui dedit nobis pignus Spiritus'; Eph. 1.13-14: 'In quo et vos, cum audissetis verbum veritatis, evangelium salutis vestrae, in quo et credentes signati estis Spiritu promissionis sancto, qui est pignus hereditatis nostrae in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriae ipsius'; *cuius causa resurgemus*, Rom. 8.11: 'Quod si Spiritus eius, qui suscitavit Jesum a mortuis, habitat in vobis: qui suscitavit Jesum Christum a mortuis, vivificabit et mortalia corpora vestra, propter inhabitationem Spiritus eius in vobis.'

Spiritus causa unionis est non tantum inter singulos baptizatos et Deum sed et inter ipsos christianos. In Actibus christiani describuntur ut '... cor unum et anima una.' Act. 4.32, 5.12-16. Haec unitas se extendebat ad campum difficillimum, scilicet oeconomicum: 'nec quisquam ... aliquid suum esse dicebat.' Rom. 5.5: Causa unitatis explicatur: 'caritas Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.' Cfr. 1 Cor. 13, Hymnus caritatis. Ideo sermo fit de *koinōnia*, de communicatione Spiritus Sancti in epistula secunda ad Cor. 13.13 (N.B. mentionem Trinitatis in doxologia), quae dicit peculiarem participationem ipsius vitae Dei per gratiam sanctificantem, et donum increatum in oeconomia Incarnationis, Redemptionis, omnia

ordinata ad visionem Dei. *Koinōnia* est fructus habitationis, actionis et testimonii Spiritus sancti in ipsa vita concreta christianorum secundum verba ad Phil. 2.1-5: ‘Si quae ergo consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si quae societas Spiritus (*ei tis koinōnia pneumatōs*), si qua viscera miserationis: implete gaudium meum ut idem sapiatis, eandem caritatem habentes, unanimes idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam: sed in humilitate superiores sibi invicem arbitantes, non quae sua sunt singuli considerantes sed ea quae aliorum. Hoc enim sentite in vobis, quid est in Christo Jesu.’

7 Argumentum Divinitatis Spiritus ex Paulo. Obiectiones.

Adhibemus in probatione textum 1 Cor. 12.1-13 tamquam receptaculum ubi debent concentrari omnia quae a S. Paulo dicuntur de Spiritu Sancto.

Necessaria est haec concentratio ex peculiari difficultate probationis ex eo quod non existit vocabularium paulinum a S. Paulo confectum ita ut statim possimus determinare inter *septem* genera in quibus adhibetur *vos pneuma*, sensum illum in quo exprimitur realitas divina personalis distincta a Patre et a Filio. Construendum igitur est a nobis hoc vocabularium, secus sensus vocum quae in uno tantum textu inveniri possunt maneret prorsus aemigmaticus et argumentum nihil probaret.

Spiritus sanctus in epistulis Paulinis exhibetur tamquam realitas personalis, divina, distincta a Patre et a Filio.

Realitas: 1 Cor. 12.7-11 enumerantur effectus reales (sermo sapientiae, scientiae, fides, gratia sanitarum, operatio virtutum) qui valde noti erant inter christianos primevos et *praeter* omnia ista existit realitas quae est causa istorum effectuum realium: unus *Spiritus*.

Personalis: Non agitur de vi, potentia, virtute quadam impersonali, sed est realitas pertinens ad ordinem personalem, eorum quae subsistunt in natura intellectuali, nam: (a) *vult*, 1 Cor. 12.11; (b) *eligit*, varia dona variis hominibus, 1 Cor. 12.12; nunc autem volitio et electio

implicant intellectionem; (c) *intelligit* (cognoscit), 1 Cor. 2.10 sq.: ‘Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum; Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quae sunt hominis nisi spiritus hominis, qui est in ipso? Ita et quae Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei ...’; si locus agit de Spiritu Sancto clarissime probat eius *intellectualitatem*; at propter comparationem cum spiritu hominis statutam, posset dici agi hic de spiritualitate ipsius Dei, et tunc haberetur argumentum pro intellectualitate Dei; revera adsunt indicationes favorabiles interpretationi de Spiritu Sancto: agitur enim de Spiritu Dei per quem revelatio facta est; nunc autem Spiritus Sanctus est qui loquitur per prophetas; quaedam oppositio praeterea innuitur inter Deum et Spiritum suum; tamen argumentum non est omnino perspicuum, et possibiles remanent cavillationes; hic locus ostendit et naturam et difficultatem nostrae probationis: singuli textus unum aspectum tantum Spiritus affirmant, unde non sunt omnino apodictici: in campo litterario uti non possumus probationibus mathematicis; (d) *orat, postulat, clamat, testatur, docet omnem veritatem*, Rom. 8.16, 8.26-27, Gal. 4.6.

Divina: probatur ex: (a) *nomine ipso*, nam communiter dicitur ‘Spiritus Dei’; (b) *opere eius* (1 Cor. 12) est principium quo efficitur et se evolvit tota vita supernaturalis ecclesiae inde a baptisate, Eph. 4.4; auae operatio est: (a) per baptismum in quo *peccatum remissio* datur (1 Cor. 12.13); (b) *transformatio hominis* in Christum per baptismum effecta, transitus de morte ad vitam; (c) *inhabitatio Spiritus* in homine, qui possessio Dei fit (1 Cor. 3.16 etc.); (d) *adoptio* hominis in filium Dei (Rom. 8.15, Gal. 4.6, etc.); haec filiatio adoptiva non est eadem ac filiatio divina; tamen accedit ad illum ordinem (cfr. *De gratia*), quia introducimur in intimitatem cum Persona divina (Patre); (e) *effusio caritatis* qua pertingimus ad vitam divinam (Rom. 5.5) inchoatam hic in terra explendam in coelo; opus christianum igitur, sive in sua origine, sive in sua activitate, sive in fine est tale ut postulet auctorem divinum, nam agitur de effectu supernaturali ordinis divini.

Distincta: (a) *ab effectibus creatis* 1 Cor. 12.4-11; Spiritus enim est qui operat, effectus autem producuntur; Spiritus enim est agens, alia patiuntur; Spiritus enim unus, alia multa; (b) *a Patre et a Filio*, 1 Cor. 12.4-6; notandum est quod generatim pro S. Paulo *kyrios* de Filio dicitur,

et *theos* de Patre; Spiritus (*pneuma*) cum Patre et Filio, qui personae sunt distinctae, connumeratur, ideo innuitur distinctio; melius hoc probatur offerendo alios locos paulinos; *clarissimus textus est Gal. 4.4-6*: ‘At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filii, misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra clamantem: Abba, Pater;’ Pater est mittens, et alia est missio Filii, alia missio Spiritus; et prima est ad adoptionem filiorum, alia vere praesupponit filiationem; insuper nomen Filii in secunda missione ponitur in genitivo, ergo non ipse ut persona mittitur; et ideo Spiritus et a Patre (mittente) et a Filio (cuius est Spiritus) distinguitur; aliae sufficientes connumeraciones fiunt aliis in locis apud S. Paulum: v.g. 2 Cor. 13.13, Eph. 4.4-6, Rom. 15.30, etc. Cfr. Prat, *La théologie de s. Paul*, 7a, v. II, p. 518, nota F.

Obiectiones

1 Spiritus est Deus, sed non aequali modo ac Pater, sed subordinate (solemnis obiectio Ariana). Cfr. 1 Cor. 8.4-6: in hoc loco Pater dicitur *ex quo*; Filius *per quem*; alibi Spiritus autem *in quo*. Non habetur ergo aequalitas sed descensus.

Resp. ‘ad hominem’: Usus praepositionum apud S. Paulum et in NT non est ita constans ut ex praepositionibus argumentum validum perfici possit. Aliis in locis, eadem de Patre ipso dicuntur, qui sibi ipsi inferior esse non potest: cfr. Rom. 11.36 (ex, per, in); Eph. 4.6 (super, per, in); 1 Cor. 1.9 (per). Aliis in locis eadem de Filio ac de Patre dicuntur, vel de Spiritu Sancto eadem ac de Patre et de Filio praedicantur. Cfr. Eph. 4.16 (ex Filio), Rom. 8.11 (per Spiritum), Rom. 5.5 (per Spiritum), Col. 1.14 (in Filio), 1 Thess. 1.1 (in Patre et in Filio). Atqui certe Pater et Filius et Spiritus non sunt tres dii. Cfr. Dt. 6.4.

2 Apud S. Paulum Spiritus est vis operans mirabilia, nam extinguere potest. 1 Thess. 5.19, et in illo nos potari possumus 1 Cor. 12.13. Ideo non est persona.

Resp.: vox *pneuma* apud Paulum diversis sensibus adhibetur, ideo nos non affirmamus ubicumque dici de Spiritu Sancto. Communis est apud Paulum, etiam si agitur de Spiritu Sancto, transitus ad usum metaphoricum vel figuratum, v.g. a causa ad effectus et vice versa, a donatore ad donum et vice versa. Idem accidit etiam quoad Christum: v.g. in Rom. 13.14 dicitur ‘induimini Dominum Jesum Christum’ ex quo tamen non potest concludi Christum non esse personam sed vestimentum. Nam expressio significat imitamini virtutes Christi, accipiatis gratiam Christi, adimpleatis mandata eius (expressi metaphorica). Scriptor enim litterarius non curat ita scribendi ita ut ex eius verbis semper possit *probari* sensus expressionis. Ipse agit enim non polemice sed tantum vult intelligentiam suam de aliqua re communicare. Unde et relate ad Spiritum Sanctum possumus varios sensus distinguere.

3 Spiritus non distinguitur a Christo, nam: (a) frequentissime Paulus identificat esse in Spiritu et esse in Christo

Resp.: obiectio non est contra doctrinam nostram, nam etiamsi sunt Spiritus et Christus duae hypostases, tamen una est substantia Spiritus et Filii cum Patre, et ideo una est operatio, et effectus unius erunt effectus etiam alterius. Nos autam defendimus consubstantialitatem. Vivere in Christo idem est ac vivere in Spiritu quia vita in Christo nobis communicatur per Spiritum, sicut sanctificatio Domini datur per Spiritum Sanctum. Operationes ad extra sunt communes tribus Personis.

(b) 2 Cor. 3.17: ‘Dominus autem Spiritus est,’ *ho de kyrios to pneuma estin.*

Resp.: Locus difficilis interpretationis quia videtur directa identificatio inter Christum et Spiritum. Duae praecipuae dantur opiniones.

Opinio prima: *kyrios* subiectum, dicitur de Christo, *pneuma* praedicatum, dicitur sensu translato (cfr. ibid. vv. 6-8 et v. 15). Significatio esset haec: velamen significat obcaecationem intellectus Iudaeorum, quae impedit quominus ipsi videant regnum Christi esse spirituale, ex eo quod eorum intelligentia littera alligatur, non libertate spiritus fruens. Cfr. Prat, op. cit. vol. 2, pp. 522-29, nota T.

*Opinio secunda: kyrios non esset Jesus, Spiritus autem Spiritus Sanctus esset. Hoc in loco enim habetur aliquid mirabile in graecitate: et subiectum et praedicatum habent proprium articulum. Si ageretur de vera praedicatione haberetur articulum ante subiectum sed non ante praedicatum. Explicatio haec datur: sicut nos uncis includimus vocabulum aliquod quod citamus, sic graeci ponebant articulum ante nomen. Ille *ho kyrios* esset proinde vox ‘Dominus’ assumpta ex versiculo praecedente qui citationem continet ex Ex. 34.34. Hic ergo Paulus explicaret citationem dicens: Ille Dominus de quo Moyses loquitur est Spiritus Sanctus. Unde non haberetur identificatio inter Christum et Spiritum. Cfr. C.H. Dodd, *The Interpretation of the Fourth Gospel*, Cambridge, 1953.*

(c) 1 Cor. 15.45. De corporum resurrectione loquens, Paulus dicit: ‘factus est primus homo Adam in animam viventem, novissimus Adam in Spiritum vivificantem.’ Unde Spiritus vivificans nihil aliud est nisi Christus qui resurrexit et glorificatus est (cfr. 2 Cor. 5.18).

Resp. Attendere oportet ad parallelismum non tantum inter primum et novissimum Adam, sed et inter id quod facti sunt. Adam factus est in animam viventem (Gen. 2) seu in ens vivens vita animae (*psychēs*), non in animam separatam. Sic Spiritus vivificans in quem factus est Christus est ens vivens vita spiritus (*pneumatōs*), immo est ens alios vivere faciens vita Spiritus et hoc sive per propriam potestatem sive per missionem Spiritus Sancti. Et sic habetur cohaerentia perfecta huius textus cum reliqua doctrina S. Pauli. Cfr. Prat, op.cit. Vol. 2, p. 205.

4 1 Cor 2.11, ex parallelismo inter spiritum hominis et Spiritum Dei. Sicut in homine spiritus non distinguitur ab homine, ita Spiritus Dei (Patris) non distinguitur a Patre.

Resp. (a) Comparatio necessario claudicat. Nos simul similitudinem et dissimilitudinem de Deo praedicare debemus. (Cfr. D. 422.) (b) Ens infinitum est necessario simplex. (c) Comparatio in sacra scriptura non est extendenda ad alia (ens quo), quae non inveniuntur in textu. Hic tantum affirmatur Spiritus Dei cognoscere ea quae Dei sunt, et circa hoc fit similitudo. Comparationes inter entia dissimilia non sunt extendendae. Circa hunc textum cfr. ea quae diximus in argumento circa personalitatem Spiritus Sancti.

Thesis 1: Spiritus Sanctus est vere et perfecte Deus, unius quidem substantiae cum Patre et Filio, a Patre et Filio realiter distinctus.

Thesis probatur duobus argumentis, quorum primum innititur in conceptu Spiritus Sancti quod habetur ex evangeliiis synopticis et Actibus Apostolorum; secundum in conceptu Spiritus Sancti quod habetur ex epistulis Paulinis. De conceptu Spiritus Sancti apud S. Ioannem agemus in thesi de processione Spiritus Sancti.

Spiritus ('ruah,' 'pneuma') in VT indicat: (1) vitam physicam, animam humanam; (2) principium vitam dans mundo; (3) virtutem divinam (a) producentem in homine effectus prodigiosos, (b) agentem in tempore Messiae, (c) quae est donum a Deo; (4) ens quodammodo divinum, emanans ex ipso Deo, tamen potius ut symbolum divinae gubernationis. Ista omnia possunt considerari tantum vestigia illius realitatis quae nobis clare notificata est solum post revelationem mysterii Trinitarii in NT.

Pneuma in NT potest indicare animam humanam, vitam, daemonia, principium cognitionis et vitae moralis, donum Dei. Tamen saepius clare indicat Spiritum Sanctum, i.e., personam divinam a patre Filioque distinctam. Hoc est probandum.

Probatio: In evangeliiis synopticis et Actibus Apostolorum, Spiritus Sanctus describitur ut:

aliquid reale: praesertim in Actibus Apostolorum Spiritus est enim (1) aliquid quod *datur* Apostolis, (2) in illis *agit*, (3) *regit* Ecclesiam eligendo, decernendo, praedicando, etc., (4) *datur* etiam aliis (descendens, replens, effundens se), (5) *testificat* et disputat simul cum Apostolis, (6) ipsi possunt homines *resistere*, etc.;

aliquid divinum: (1) Spiritus frequentissime dicitur 'Spiritus Dei,' i.e., aliquid pertinens Deo; (2) Spiritus facit opera Dei (a) quia est vox Dei per prophetas, (b) intervenit in vita Christi qui est Deus, (c) determinat oeconomiam divinam transformando et confortando Apostolos, regendo Ecclesiam, retendo personas; (3) mentiri Spiritui et Deo idem est; (4) explicare miracula Christi per Beelzebul est blasphemare contra Spiritum;

aliqua persona: de Spiritu enim dicuntur quae soli personae tribui possunt: loquitur, inspirat, dat eloqui, mittit apostolos, iudicat, vetat, ponit auctoritates, testificat (cfr. passim);

persona distincta a Patre et a Filio: (1) Spiritus indicatur ut ‘Spiritus Patri,’ ideo a Patre distinctus; (2) Spiritus dicitur a Filio effusus esse ex promissione accepta a Patre, et ideo a Patre et a Filio esse distinctus; (3) *locus praecipuus* in quo clare indicatur Spiritum Sanctum esse personam distinctam a Patre et Filio est Mt. 28.19 (formula Baptismatis); potest considerari etiam Mt. 3.6: Baptisma Christi; fideles dicuntur baptizari ‘in nomine (tou) Patris, et (kai tou) Filii, et (kai tou) Spiritus Sancti’; per hanc formam litterariam repetitionis articuli, indicatur certe diversitas subiectorum qui per nomina exprimuntur: non enim nomina connumerarentur si subiecta non essent distincta; Spiritus Sanctus igitur est persona: *divina*, quia enumeratur *simul cum* Patre et Filio qui sunt personae divinae (cfr. alios tractatus); *distincta*, quia connumeratur cum duobus distinctis; *est persona*, quia baptisma fit ‘in nomine’ eius: i.e. propter potentiam, in gloriam, dedicando se illi; mnes istae expressiones non haberent sensum si Spiritus non esset persona; textus iste, quia optime in se continet et perficit ea omnia quae de Spiritu Sancto antea dicta sunt, ponitur ut centrum totius probationis; eius vis probativa clarius apparet in toto contextu praecedenti.

Aliud argumentum ex S. Paulo: ‘Pneuma’: quamvis saepe adhibeatur ad significandum halitus, principium hominis internum, characteristicam alicuius realitatis (v.g. ‘spiritus mundi,’ etc.) charismata, aliquid vivificans, *tamen* aliquando certe significat Spiritum Sanctum ut personam divinam distinctam a Patre Filioque. Hoc est probandum:

Locus praecipuus in quo innitemur est 1 Cor. 12.1-13: locus tamen iste debet compleri per integram doctrinam s. Pauli de Spiritu Sancto quae invenitur in ceteris epistolis.

Probatio: Spiritus Sanctus describitur a S. Paulo ut

aliquid reale: quia producit effectus reales qui sunt charismata: vv. 7-11; et alibi;

aliquid divinum: quia opera eius sunt principium vitae supernaturalis; opera enim eius sunt: (1) *baptisma*: v. 13, quod comportat (ut eruitur ex aliis epistolis) remissionem peccatorum

(lavacrum); unionem in uno corpore; transmutationem a statu quodam anteriori peccaminoso; illuminationem mentis; libertatem a lege peccati; vitam oppositam vitae carnis; qui omnes sunt effectus divini; (2) *inhabitatio in homine*: 1 Cor. 3.16 ss., quae comportat (ut eruitur ex aliis epistolis) possessionem hominis a Deo, filiationem et adoptionem divinam; certitudinem intimam huius filiatinis; auxilium pro vita; hereditatem coelestem; resurrectionem hominis; omnes istae operationes et effectus, cum sint ordinis divini, postulant auctorem divinum;

aliqua persona: quia vult: v. 11; eligit: vv. 7-11; intelligit: implicite in tota pericope, explicite in 1 Cor. 2.10; orat, postulat, clamat, etc.: haec desumuntur ex aliis epistolis;

persona distincta a Patre et a Filio: Spiritus enim connumeratur simul cum Domino et cum Deo, qui sunt personae divinae distinctae, vv. 4, 6; secundum enim vocabularium Paulinum, ‘Dominus’ indica Filium; ‘Deus’ Patrem’ si ergo Spiritus connumeratur simul cum personis divinis distinctis, et ipse persona distincta est et divina. Distinctio Trinitaria personarum invenitur frequenter etiam in aliis locis Paulinis.

Thesis 2: Traditio Patrum Apostolicorum et ceterorum antenicaenorum Patrum dicenda est Catholicam de SS. Trinitate doctrinam comprobare.

Cfr. Boyer, 1949, pp. 29-51

Status quaestionis

Inquirimus utrum *traditio catholica* iam a primo tempore ecclesiae concordet cum eis quae vidimus in NT de affirmatione dogmatis trinitarii.

Hoc examen triplici gressu fit, distinguendo quandam progressionem (a) ab usu et persuasione primaevae ecclesiae, prout elucet ex liturgia, oratione et dictis PP. Apostolicorum (b) ad modum loquendi PP. Apologetarum (thesis 2), PP. Postnicaenorum, et inter illos, praesertim Cappadocum (thesis 3). Etenim, inde a PP Apologetis (medio saec. 2) incipit in ecclesia speculatio de processione Verbi et de differentia inter Patrem et Filium. Speculatio haec

tamen nondum est valde accurata, ita ut aliquantulum obscurentur quae ex NT de Sanctissima Trinitate constare vidimus. Hoc factum fundamentum praebuit obiectioni rationalisticae secundum quam dogma Trinitarium est creatio quarti saeculi. E contra, indicia sat evidentia et numerosa inveniuntur ad tollendum omne dubium.

Thesim dividimus in tres partes: 1 Testimonium de sanctissima Trinitate in liturgia ecclesiae primaevae; 2 Testimonium PP. Apostolicorum (1-2 saec.); 3 Testimonium PP. Apologetarum, Romanorum pontificum, scriptorumque ecclesiasticorum saec. 3.

N.B. Hac occasione repetenda essent quae iam affirmavimus agentes de modo loquendi Scripturae circa transitum progressivum a modo cognoscendi vulgari ad expressiones magis abstractas, generales et universales. Qui processus lentissime fit. Antequam inveniatur formulatio clara et distincta, tentamina multa debent fieri, quae obscuritate non carent. Neque de hoc miratur qui aliquid scit de lenta evolutione mentis humanae. Hoc accidit, e.g., in vocabulario multarum linguarum determinando: eadem notio, quae simplicissima prima fronte videtur, vg. ‘duo,’ concretis verbis diversissimis exprimitur, apud primitivos, secundum subiectam materiam: animalia, obiecta, homines ... (vg. ‘emi 5 iuga boum’ = 10 boves). Solummodo lente pervenitur ad expressionem abstractam notionis ‘duo’ quae valeat designare omnes casus. (Cf. etiam usum casus ‘dualis’ in linguis primitivis).

Hoc pendet etiam ex eo quod cogitatio humana incipit modo valde concreto; clarificationes autem quae videntur obviae postquam factae sunt, saepe plura saecula requisiverunt. Sic ante concilium Nicaenum Christiani repetebant quae de Trinitate in NT habebantur. At cum inceperunt quasdam explicationes dare, non statim invenerunt claram expressionem: vg. ‘tres personas in una natura’ (symbol Quicumque). Haec fuit expressio nova alicuius veritatis per tria saecula semper possessae. Hoc semper ante oculos habendum est ut vera solutio omnium difficultatum inveniatur.

Adversarii

Rationalistae: Dogma Trinitatis enuntiatum in conciliis Nicaeno 1 (325) et Constantinopolitano 1 (381) est creatio quarti saeculi. Ante, dicunt, vigeant: (a) in ecclesia Occid. Monarchismus: ‘Deus ita est unus ut non adsit distinctio personalis inter Patrem et Filium’; vg. apud Ignatium Antiochenum, Zephyrinum, Praxeam et heresim Sabelli (fine secundi saeculi) qui confundebant personas divinas; (b) in ecclesia Orient. Subordinationismus, vel ditheismus vel tritheismus, qui dividebant substantiam divinam ex eo quod ad personas distinguendas requirebantur tria diversa nomina necnon aliquis ordo inter illas. Relate ad opiniones quorundam auctorum catholicorum de hac re (vg., Petavii), cfr. Boyer, pp. 30, 39-40.

Probatio

1 Testimonium de sanctissima Trinitate in liturgia ecclesiae primaevae.

Fides Trinitaria attestatur – (a) *In baptismo*: tum formula ipsa qua sacramentum confertur; tum triplici interrogatione de fide neophiti. (b) *In lege orandi*

(a) Baptisma

Didache (fine saeculi primi vel initio secundi) (RJ 4) praecipit: ‘Baptizate in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.’ Quae formula et triplex infusio aquae super caput miro modo fidem trinitariam probant. Hic valent eodem modo omnia quae dicta sunt in thesi prima de argumento ex Mt 28, tamen argumentatio hic fit ex traditione.

Similes formulas habent Justinus (RJ 126), Irenaeus (RJ 219) et Tertullianus (RJ 367), quae eundem attestant ritum ab anno 150 ad initium saeculi tertii.

In *triplici interrogatione et responsione* (cfr. Irenaeum et Tertullianum) invenimus elementum quod concordat optime cum datis NT, sed affirmatio divinitatis Filii et Spiritus Sancti non est hic magis explicita.

Magis explicitum est testimonium *Hyppoliti* (redactio canonum Hypp. saeculo quinto-sixto facta est, sed inventa sunt fragmenta antiquiora in palimpsesto verelinensi, initii tertiae saeculi).

Unde iam ab initio clarissime apparet dogma trinitarium etiam si non explicite affirmatum.

(b) Lex orandi eandem fidem manifestat: ipse Filius enim, et non tantum Pater, rogatur, colitur, adoratur.

Testimonia

Plinius (133) refert imperatori crimen Christianorum: ‘... soliti (sunt) ... carmen Christo quasi Deo dicere’ (K. 30).

Christiani Smyrnenses referentes de martyrio Polycarpi, distinguunt inter cultum Christi (‘Illum, utpote Filii, Deo adoramus’) et cultum Martyrum (‘martyres vere, tamquam Domini discipulos et imitatores oramus’) (RJ 81)

Polycarpus Martyr: in eadem relatione, dicitur precationem fecisse cum iam rege alligatus orat: duo notana sunt in hac oratione (Boyer p. 325):

(a) ‘Pater dilecti ac *benedicti* filii tui Jesu Christi ...’ Verbum ‘Benedictus’ – *eulogētos* – potest esse allusio, ad morem Judaeorum, istius nominis loco nominis Yahweh (cfr. Mc 14.61).

(b) Finis orationis supponit intercessionem Filii in oblatione cultus; praeterea Pater, Filius, et Spiritus Sanctus eodem modo glorificantur: ‘Te laudo, tibi benedico, te glorifico *per* ... Jesum Christum ... per quem *tibi, cum ipso et Spiritu Sancto gloria ...*’ (cf Jo. 5.23). Habetur hic indicium attitudinis religiosae Ecclesiae primitivae quae dat per Filium gloriam Patri, Filio, et Spiritui Sancto.

Ignatius Antiochenus eodem modo explicite affirmat divinitatem Filii loquens de ‘Passione Dei mei.’

Preces

In Didache honoratur Filius ut Deus ‘Hosanna Deo David’ (cfr. Mt 22.41 ss.).

In Hymno vespertino (RJ 108) Christus invocatur ut lux Patris; de quo tria notanda: (a) alluditur forsitan ad textum Hebr 1.1 ss. (splendor gloriae eius); (b) Trinitas laudatur: ‘laudamus Patrem et Filium et Spiritum Sanctum Dei’; (c) gloria tribuitur speciali modo Filio, cui fit oratio: ‘Dignus es omni tempore hymnis celebrari sanctis vocibus, Fili Dei, qui vitam das; quapropter mundus Te glorificat.’

In Oratione Dominicali, petitio introducitur: ‘Adveniat in nos Spiritus Sanctus.’

In celebratione Eucharisticai: ‘Petimus ut mittas Spiritum tuum Sanctum.’

In doxologiis: iam practice exprimitur quod in conciliis posterioribus reflexe enuntiabitur praesertim de Spiritu Sancto (qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur).

Conclusio: Christiani Ecclesiae primaevae habebant modum agendi cum Sanctissima Trinitate non minus explicite quam hodie, etsi non technicum. Argumentum magnam vim habet ex eo quod liturgia est elementum maxime conservativum.

2 Testimonium Patrum Apostolicorum

1 *Clemens Romanus*: cuius indicia de nostra doctrina sex capitibus ordinantur:

a In prima sua epistola ad Corinthios habetur idem contextus ac in epistula Pauli ad Philippenses (2.5-11) ad locum scilicet ubi expresse mentio fit de divinitate Christi. Connexio maxime intima in utroque loco manifestatur inter Patrem et Jesum (‘cum in forma Dei esset’; ‘sceptrum maiestatis Dei’). Unde dignitas maxima et eminens exemplum humilitatis omnibus Christianis: ‘Si enim Dominus ita se humiliavit ...’

b Vide etiam verba ‘qui maiestatis Dei splendor existens tanto maior est angelis, quanto excellentius nomen sortitus est’ (RJ 18), quae sunt conferenda cum Hebr. 1.3-4 ubi affirmatur divinitas Christi. Idem habetur contextus litterarius et culturalis (cf. analysim textus Hebr. in tract. De Verbo incarnato).

c Attribuuntur Christo verba Sapientiae: ‘Venite, filii, audite me: timorem domini docebo vos’ (Ps. 34.12), quod supponit Clementem admittere identificationem inter Sapientiam Dei et Christum, ut habetur apud Paulum, 1 Cor. 1.24 et 30 (cf. RJ 23).

d Cultus supremus redditur Christo eodem modo ac Patri: ‘... maiestas et gloria ...’

e Jusiurandum quod in VT fiebat per ‘vivit Dominus,’ nunc fit commemorando Filium cum Patre et Spiritu Sancto: ‘Sicut Dominus vivit et Dominus Jesus Christus vivit et Spiritus Sanctus.’ Unde et Filius et Spiritus Sanctus sunt in ordine divinitatis (RJ 28).

f Sermo fit de munere Spiritus Sancti: inspirat omnem salutarem cogitationem, prophetas et Scripturas.

2 *Ignatius* verba tam explicita habet de divinitate Christi, ut liberales exinde obiectionem oppositam eruant: ‘Ignatius identificavit Patrem et Filium’ (cf. Boyer 36-37). Revera eius expressiones supponunt distinctionem:

a Ecclesia Ephesi electa ‘per voluntatem Patris *et* Jesu Christi, *Dei* nostri’

b Christus qui ‘ab uno Patre prodiit et apud unum fuit ad eumque reversus est.’ Interdum dicitur Christus ‘Deus noster’ (sexies) non quod sit alius Deus, sed quia incarnatus est, mortuus, etc. ... pro nobis.

c ‘Deus ... noster Iesus Christus in utero gestatus est a Maria, iuxta dispensationem Dei ex semine quidem David, Spiritu autem Sancto’ (RJ 42).

3 *Epistola dicta Barnabae* (ca. 130) supponit Filium coaeternum Patri: etenim interpretatur Gen. 1.26: ‘Faciamus hominem’ ut loquelam inter personas Trinitatis (interpretatio illa frequens fuit inter Patres) (RJ 31).

4 *Secunda epistola Clementis Romani* (epistola auctoris ignoti ca. 140) exigit a Christianis eundem modum se habendi religiosum erga Patrem et erga Filium: unde, Filius est Deus. Praeterea Filius dicitur auctor ‘incommutabilitatis’ (*aphtharsia*) nostrae, quae habebatur tamquam

attributum divinum (cfr. Sap 12.1) (RJ 101). Ex altera parte loquitur de ‘missione’ Filii a Patre ad salvandum nos: unde distinctionem tenet inter personas.

5 Pastor Hermae (medio saec. 2) ponit difficultates potius quam lucem affert; de Trinitate tantum in obliquo agit ita ut difficile evadat clare determinare doctrinam eius in hoc puncto; in specie, quae dicit de Filio et Spiritu Sancto redolent aliquem adoptionismum: Filius Dei esset Spiritus inhabitans in homine Iesu (RJ 89). Apparet ratio eius confusionis in eo quod doctrina trinitaria implicatur tantum per accidens in aliquibus similitudinibus quas Hermas adhibet ob finem suum moralem et asceticum cui aspectus dogmaticus subordinatur. Quod in Herma est obscurum non est commune in Traditione, immo illi contradicit.

3 Testimonium Patrum Apologetarum, Romanorum Pontificum et scriptorum ecclesiasticorum saec. III

A Testimonium Patrum Apologetarum

Quomodo explicari potest positio acatholicorum de ipsis, quando affirmant doctrinam trinitariam in eis non attestari, et proinde fidem trinitariam ignorari in ecclesia saec. 11?

1

Prima distinctio fundamentalis facienda: aliud est fides eorum, aliud illorum conatus speculativus ad fidem intelligendam.

Criterionum autem ad dividenda, in eorum operibus, ea quae ad fidem pertinent ab illis quae privatae speculationi sunt tribuenda, repetere possumus ab illis quae *hodie* nos, ex Magisterio Ecclesiae, cognoscimus ad fidem pertinere. Unde seliguntur, tamquam testimonium Traditionis, textus exprimentes fidem orthodoxam; in illis autem qui cum fide nullo modo componi possunt, agnoscimus speculationem privatam de fide; haec est ratio procedendi quam apologetica non raro adhibet, supponens iam infallibile magisterium Ecclesiae.

Nos autem, magis historice procedendo, distinctionem illam textibus applicabimus prouti facta est ab ipsis auctoribus, in quantum hoc possibile est. Hic processus est maximi momenti si volumus ad ipsam mentem horum auctorum pervenire.

Nunc autem, tres auctores posteriores, *Origenes*, *Tertullianus* et *Clemens Alexandrinus*, explicite in suis operibus talem fecerunt distinctionem:

Origenes, quaerens ‘gnosim’ veritatum revelatarum, clare distinguit ea quae sunt certa secundum praedicationem Ecclesiae, et ab omnibus admissa, circa quae nullum movetur dubium (existentiam et spiritualitatem Dei; tres hypostases divinas ...) a suis explicationibus et investigationibus in punctis ubi haec unanimitas fidei nondum tunc manifesta erat (v.gr. an Spiritus Sanctus sit natus et generatus, sicut Filius: *Peri archōn*: cfr. RJ 443-445 ss.).

De *Clemente Alexandrino* idem dicendum.

Alii, etiam, etsi confusiori modo, illam distinctionem fecerunt: v.gr. *Tertullianus* (*De Praescriptione haereticorum*), in secure posita immutabilitate regulae fidei, cuique agnoscit libertatem satisfaciendi prout vult ‘libidini curiositatis,’ in punctis obscurioribus ubi investigatio fieri potest (RJ 288-90).

Etiam *Patres Apologetae* sufficienter illam distinctionem fecerunt, etsi minus eam evolverint. Sic:

Justinus cum existentiam Christi ante nativitatem ex Virgine probare vult, apertam distinctionem facit inter explicationem suam et verum de quo inquit quod omnes admittunt (RJ 136).

Athenagoras (in sua apologia) primo fatetur fidem in Deum Patrem et in Filium; deinde ut satisfaciat curiositati imperatoris, conatur explicare in quonam sensu verba ‘Filius Dei’ sint accipienda et intelligenda (RJ 164).

Irenaeus iam multo clarius in hunc sensum evadit: distinguit fidem quae non mutatur in plus vel minus secundum numerum verborum quibus exprimitur (RJ 194; 231, etc.) et quaestiones in quibus solvendis melius est silere quam errare. (Hoc dicit contra Gnosticos qui multum speculationibus indulgebant.) V.g.: Quomodo Deus Invisibilis factus est visibilis

prophetis? Cur Verbum caro factum sit tantum in fine temporum? Quomodo fiat generatio Filii a Patre? (RJ 202-204, etc.). *Unde*, distinctio illa, etsi diversimode singulis auctoribus applicanda, cum inveniatur in illis est vere *historica*.

2

Altera insuper distinctio fundamentalis est facienda in hac quaestione: in iudicando conatu ad intelligendam fidem auctorum saec. II et III, vitandus est *anachronismus*, qui consistit in defendenda vel condemnanda speculatione unius aetatis secundum principia et distinctiones quae tantum postea inventa sunt ut vera. V.g., nos tenemus quod nulla daretur distinctio realis inter personas divinas, nisi adessent processiones; sed hoc nondum claro modo in possessione theologorum erat per plura saecula.

Cum hac duplici distinctione, omnia requisita habemus ad intelligendos Patres Apologetas. Non sumenda est eorum speculatio pro eorum fide. Speculatio illa examinari non debet sub luce eorum quae tantum posterius nota facta sunt. Etiam Patres posteriores noverunt eos non bene de Trinitate locutos esse: sic Augustinus, agens contra Pelagianos, qui affirmationibus Chrysostomi utebantur, distinguit inter modum loquendi ante (ubi non habebantur cautelae postea requisitae) et post ortam haeresim pelagianam, sese appellans ad id quod factum est in modo loquendi de Trinitate ante et post haeresim Arianam (RJ 1228).

3

3 *De praecipuis fontibus difficultatum quae apud Apologetas inveniuntur*

1 *Generatio Filii*

Reiecto modo mythico generationis prout habetur in genealogiis deorum paganorum, et agentes contra paganos magis excultos qui tot generationes divinas deridebant, ut explicarent sensum nostri 'Filii Dei,' recurrerunt ad distinctionem *stoicam* inter verbum insitum (*endiatheton*) et verbum prolatum (*prophorixon*).

Stoici distinguebant *latia*, sonus vocis inarticulati; *phōne*, sonus articulati non necessario cohaerentes inter se; *logos*, sonus verborum cum sensu, seu series verborum aliquid significantium.

Patet necessario adesse in mente *logon* quendam inditum (*endiatheton*) antequam homo perveniat ad *logon* prolatum, seu ad voces exterius prolatas sensum habentes.

Hac distinctione usi sunt Patres ad explicandam generationem in Deo; exinde patet eos versari in speculatione pura: cur Verbum sit Filius.

Iesus vocatus est a Ioanne *logos*: unde dixerunt illud Verbum aeternum apud Deum insitum esse et a Deo inseparabile, atque in momento creationis tantum evenisse Verbum prolatum per quod Deus creavit. Nam per Verbum Dei creata sunt omnia (Io. 1.3). Hanc ‘prolationem’ Verbi insiti vocaverunt ‘generationem’ in Deo: unde, momento creationis, non ab aeterno sed initio temporis, Verbum fit Filius.

Ita habetur verus error: nam Filius est aeternus sicut Verbum, et dicendum est *aliquos Patres erravisse in speculatione* circa modum quo Verbum est Filius, ponentes Filium tamquam statum posteriorem Verbo aeterno.

Implicatur insuper alius error in hoc primo: nam, quia in divinis datur distinctio realis tantum quatenus dantur processiones, Trinitas inciperet solum in momento creationis! Sed hunc errorem, practicae negationis Trinitatis, Apologetis tribuere, est praecise cadere in anachronismum de quo supra. Conclusio ista sequitur logice, sed ex aliquo principio universaliter et explicite admissa tantum post Concilium Florentinum (1438-45). Historice autem non constat Patres Apologetas negare aliud fundamentum distinctionis in Deo praeter processiones.

2 *Subordinationismus*

In sacra scriptura revera sat multa inveniuntur de relationibus inter Patrem, Filium, et Spiritum (v.g. ‘Pater maior me est,’ Io/ 14.28), quae, si prouti sonant statim accipiuntur, ad errores trinitarios adducere possunt et de facto adduxerunt. Ad habendam claram et sufficientem intelligentiam horum locorum, necessarius fuit intensissimus labor speculationis theologicae qui per tria saecula factus est, et qui requirebat notiones aliquas systematicas (naturam – personas – generationem – processionem) quas nonnisi in Symbolo ‘Quicumque’ plene evolutas invenimus.

Auctores saec. II et III inveniuntur in initio huius motus intelligentiae S. Scripturae. Nihil mirum ergo si in eis (praesertim in Origene) deest illa praecisio et cautela in modo loquendi de Trinitate quam tantum post tot haereses Ecclesia didicit.

4

Probatio

In genere affirmamus: *Patres apologetae sunt boni testes fidei communis de sanctissima Trinitate*, etsi illorum privati conatus ad intelligendam fidem illos errare fecerunt in aliquibus punctis quae, tunc temporis, Ecclesia nondum determinate sua auctoritate definiverat.

Unde nequimus unum alterumve textum ex illis adducere pro nostra thesi, quin responsum demus difficultatibus ex aliis textibus exurgentibus.

In specie

Iustinus (circiter 165) certe habet Christum seu Filium esse Deum, et distinctum a Patre. Hoc patet ex (a) secunda parte *Apologiae I* (cc. 30-53) in qua ex prophetiis VT probationem sumit (RJ 113-129); (b) *in dialogo cum Triphone* ex locis VT vult probare dari aliquem verum Deum qui non est Pater. Nam dum Pater *non* est *apparens*, datur Deus *apparens* (antea patriarchis, deinde in NT) qui semper est Filius et qui vere est Deus. Praescindendo a validitate et natura argumentationis, nullum dubium est quin Iustinus tenuerit veram divinitatem Filii.

Difficultates autem praebet.

1 *circa generationem Filii* (cf. Boyer p. 42): brevissime et tantum hic Iustinus tangit generationem Filii asserendo Verbum factum esse Filium quando creatio facta est. P. Boyer refert ‘genitus’ non ad sequentia sed ad praecedentia verba contextus et sic habentur: ‘Verbum ante creaturas *et una* cum Patre *et genitus erat*, quando per eum omnia fecit ...’

At secundum principia supra exposita possumus admittere haberi hic errorem sed relate ad speculativum tantum, unde parum refert interpretatio loci particularis; Tatianus et Theophilus eundem errorem habent quorum primus discipulus fuit Iustini. Est macula cogitationis

contemporaneae, quae etsi pericula magnorum errorum in se contineat, tamen fidem non infirmat pro qua Iustinus martyr mortuus est.

2 ex oppositione quam videtur ponere inter naturam Dei Patris, *invisibilem*, et Filii, *visibilem*, tamquam manifestationem divinitatis. Exinde concludendum esset: Pater et Filius non habent eandem naturam, substantiam, essentiam, cum Deus sit vel visibilis, vel invisibilis, at non utrumque simul (cf. Boyer p. 43). Unde Pater and Filius non essent idem Deus, unde *subordinationismus*.

Respondeo: subordinationismus latet de facto in fundamento argumentationis Iustini, at revera illius distinctio fundatur in scriptura: cf. Io. 1.18, ‘Deum nemo vidit umquam,’ ‘*monogenēs* qui est in sinu Patris ipse enarravit’; Heb 1.3, ‘splendor gloriae et figura substantiae eius’; Col 1.15, ‘imago Dei invisibilis.’

Deest tunc theologia systematica, et formulatio dogmatica dogmatis Trinitarii: ratiocinando supra textus scripturae, Iustinus putat se argumentum invenisse ad probandum quod *per fidem cognoverat tamquam verum*, scilicet divinitatem Filii. Hoc argumentum, in quantum supponit differentiam naturae inter Patrem et Filium, est erroneum, at hoc consecrarium perspectum fuit tantum post multum tempus, unde tunc temporis Iustinus faciebat quae sibi possibilia erant, non habens notionem naturae, personae, etc., tam claras et distinctas sicuti nunc.

Non propter hoc Iustinus est contemnendus; tantum dicimus processum intelligentiae dogmatis pendet a statu et contextu culturali. Bene Iustinus locutus est de iis quae tunc nota erant; minus bene de iis quae adhuc ignota manebant. Unde quoad nos, qui conceptus claros habemus unius naturae divinae subsistentis, nullo modo inter Patrem et Filium illa distinctio poni potest. Si quis autem tantum categoriis biblicis utitur – ut Apologetae faciebant – non tam facile applicantur notiones neque fiunt deductiones quas nos facimus. Sic subordinationismus tantum *virtualiter* implicatur in modo cogitandi Iustini.

3 In Dialogo cum Triphone (61, 1), Iustinus dicit de Filio quod sit ‘voluntate de Patre genitus.’ Unde iterum subordinationismus! (cf. Boyer 43) RJ 137.

Respondeo: hoc haberi tantum in obliquo, ut thema quoddam minus, quasi inter parentheses. Est tamen conclusio alicuius theologiae imperfectae, nam revera Filius necessario a Patre procedit; non voluntate.

Concludere licet: Iustinus fideliter tradit verum revelatum; minus bene illud intelligit de eoque loquitur in aliquibus punctis particularibus: manet ergo eiusdem fidei ac nostrae (Cfr. RJ 126 testimonium de baptismo).

Irenaeus (ob. circiter 200): de eo notanda sunt sex puncta (textus cfr. in Boyer pp. 43-44). (1) Clare praebet elementa dogmatis trinitarii: affirmat clare divinitatem et distinctionem Patris et Filii. (2) Explicite reicit distinctionem stoicam inter verbum insitum et prolatum, cum illius implicationes periculosas detexerit; aeternae Verbum est apud Patrem, a Patre distinctum. Unde vitat omnem errorem circa generationem Filii (RJ 204; 231). (3) Quia Filius dicitur ‘mensura Patris,’ et ipse debet infinitus esse, unde inclusio Patris et Filii talis esse debet ut identica natura sequatur. (4) Notat etiam periculum loquendi ut Iustinus de invisibilitate Patris et de visibilitate Filii, et affirmat Filium habere eandem invisibilem naturam, visibilem tamen factum esse ut Patrem revelaret. (5) *Tamen*, in suo modo loquendi, adsunt indicia subordinationismi (cfr. Boyer p. 44), quae, ut removeantur, exigent systematicam aliquam regulam in re trinitaria, secundum quam omnes expressiones iudicentur, ad quam omnia reducantur, et sine qua facillime aliquando aliquid inexactum omnibus effuget. Haec regula tamen tantum postea inventa est in clara affirmatione unius naturae et trium personarum in Deo. Unde eadem semper valet responsio generalis: etiam in Irenaeo distinguendae sunt fides et speculatio de fide. (6) Bene etiam loquitur de divinitate Spiritus Sancti (cfr. Boyer p. 44).

Tatianus, discipulus Iustini, postea encratista factus, testimonium dat de divinitate Filii et de eius distinctione a Patre. Easdem difficultates praebet ac Iustinus, et eadem est earum solutio (RJ 153).

Theophilus Antiochenus, qui floruit inter 160 et 180, formationem hellenicam recepit, et adultus tantum ad Christianismum conversus est. Etiam ipse distinctionem stoicam inter

verbum insitum et prolatum adhibet ad explicandam generationem Verbi, in suis III libris ‘Ad Autolyicum’ (RJ 182). Cfr. supra dicta (Boyer p. 45).

Athenagoras (floruit 160-180) testimonium dat de fide trinitaria modo clariori quam Tatianus et Theophilus (RJ 164 s.). Cfr. Boyer p. 45.

B *Testimonium Pontificum Romanorum saec. III*

Victor (circa 189-198) de quo nescimus utrum latine an graece scripserit, damnavit monarchianismum Theodoti (solus Pater est Deus) ex quo fluebat adoptionismus relate ad Iesum: Iesus fuit merus homo, et ergo filius adoptivus Dei, sicut nos, sed modo speciali Deus in eo praesens fuit.

Zephyrinus (circa 198-217) et *Callistus* (217-220) quorum mentem cognoscimus ex opere ‘Philosophoumena’ Hippolyti Romani (ob. 235) qui sub tribus papis fuit antipapa, postea autem in persecutone Maximini Tracii se reconciliavit et, martyr mortuus, veneratur eodem die ac Pontinaus papa (230-235). Difficultas tamen de mente horum auctorum fideliter tradenda pendet ex dubio valore quam habent historici fontes sicuti usque ad nos pervenerunt. Ita Hippolytus distinctionem inter Patrem et Filium affirmavit ut deveniret ad subordinationismum propter suam theoriam de *logo*. Propter quam damnatus est a Zephyrino, qui tunc temporis Callistum habebat ut consiliarium. Hippolytus (DB 3036 vel 42a) accusavit duos papas de eo quod negarent omnem distinctionem inter Patrem et Filium, quod tamen falsum est, scimus enim eos praecise damnasse et sabellianismum.

Dionysius Romanus (259-269) clarissimus testis est doctrinae nostrae: cfr. DB 48-51. De eius relationibus cum *Dionysio Alexandrino* haec notanda: Dionysius Alexandrinus apud papam accusatus fuit de eo quod tres affirmaret deos, nimis scilicet distinguendo personas divinas in sua defensione fidei contra sabellianismum; fieri potest ut error linguisticus commissus sit in intelligendo eius opere: nam, inde a Tertulliano, Ecclesia terminologiam latinam accuratam habet ad loquendum de Trinitate: una substantia, tres personae; e contra, Graeci habent vocem *ousian* pro substantia, sed nullam vocem praecisam ad designandas personas. Clemens Alexandrinus et

Origenes elegerunt *hypostasin* pro ‘persona,’ dum etymologice *hypostatis* = substantia, significans realitatem rei. Hoc apparet etiam in Concilio Nicaeno, in quo *hypostasis* est synonymum *ousias*. Unde apud Dionysium Alexandrinum potuerunt dari quaedam imprecisiones. Etiam in modo loquendi Dionysii Romani notandum est ipsum loqui de ‘monarchia’ in Deo, tamen intendentem unitatem divinam; dum Sabelliani, qui vocati sunt etiam ‘monarchiani,’ unitatem divinam exaggerabant usque ad negationem trinitatis personarum. Unde Dionysius Romanus solummodo reicit tres hypostases omnino separatas, ergo tritheismum, et asserit in tribus esse credendum, ita tamen ut unus credatur esse Deus.

C Testimonium Scriptorum Ecclesiasticorum saec. III

Quoad Tertullianum et Origenem eaedam distinctiones generales quas dedimus praebent solutionem quaestionibus quae exurgunt ex eorum operibus: non confundenda eorum fides cum privata speculatione.

Tertullianus (157-226) clarissimus testis traditionis (RJ 371-0379), mirae – pro sua aetate – praecisionis, praesertim in *Adversus Praxeam*, ubi invenitur primus usus termini ‘Trinitas’ (c. 3). Magnum meritum habet eo quod terminos technicos in usum introduxit (persona, substantia; c. 12); ope horum terminorum Ecclesia occidentalis immunis fuit a disputationibus quae excruciauerunt orientales, et illis, quamvis magis speculativis, directionem praebuit rectae intelligentiae fidei. Aliquae, tamen, ex aliis eius distinctionibus sunt nimis rhetoricae. ‘Oeconomia’ utitur non in sensu Providentiae divinae mundum dirigentis ad salutem, sed ad indicandas relationes intratrinitarias. Tamen eius cogitatio de generatione Filii minus felix est: iterum recurrit ad explicationem Apologetarum (Verbum fit Filius in momento creationis), iam ab Iraenaeo reiectam (cf. Boyer p. 49). Tunc temporis haec materia nondum erat de fide, sed tractabatur ut quaestio mere speculativa. Cavendum tamen est ab anachronismo quo ei imputarentur conclusiones logice deductae per nostros conceptus ex eius modo loquendi.

Origenes (ob. 253-54) multas affirmationes claras et rectas habet de fide traditionali (Boyer pp. 49-50). Difficultas quaedam particularis habetur de ‘mente’ eius exacta, cum eius tractatus *Peri Archōn* (De principiis), primum manuale dogmaticae – ut dicit Altaner – nobis notus sit tantum in traductione facta a Rufino (345-410), qui, quantum fieri potuit, correxit errores; quaedam expressiones traductionis multo melius intelliguntur si cognoscitur influxus progressuum quarti saeculi, et praesertim Patrum Cappadocum (in specie de proprietatibus personarum in Trinitate). Pro tempore Origenis ipsae sunt nimis perfectae. Origenes docet consubstantialitatem Patris et Filii: utens voce *homoousios* (RJ 540); ex aeterno generatus, Filius est eiusdem naturae ac Pater. Summatim, elementa praebet quae postea a concilio Nicaeno assumuntur, quae vere male intelligi poterant, ut fecerunt Ariani.

Tamen in eo clarae inveniuntur expressiones subordinationismi (v.g. sumit litteraliter ‘Pater maior me est,’ cfr. Boyer p. 50). De hoc dicendum est: Origenes est in primo stadio historico exegeseos, in quo textus nimis separati unus ab alio considerantur, toto contextu S. Scripturae nondum ponitus explorato.

Ignorans ergo conclusiones quae ex suis affirmationibus logice erui poterant, multa habent quae cum fide sana, sicuti eius fides erat, logice conciliari non possunt, quod in auctore qui gressus theologicos fere in unoquoque campo incepit, bene explicatur.

Praeterea, cogitatio eius involvit elementa neo-platonica (audivit Ammonium Saccam) v.gr. in quaestione de relatione inter Patrem et cetera, nimis emanatistice loquitur: Pater solus est ‘unus purus,’ Filius esset ‘unus cum multis.’ Si quaestio haec legitime poni potest, tamen expressiones Origenis de facto cum dogmate trinitario conciliari non possunt.

Thesis 3: Patres saeculo IV explicitam tenuerunt fidem perfectae aequalitatis et genuinae consubstantialitatis Filii cum Patre.

Cfr. Boyer, pp. 51-71

Introductio historica: Etiam si summatim et modo maxime incompleto, perspiciamus oportet magnas lineas positionum in quaestione trinitaria tunc temporis. Unde tria considerantur: errores, tum ante Arianismum, tum ipsius Arianismi; decretum Concilii Nicaeni; oppositio contra Concilium.

1 Errores in genere

Ante Arianismum invenimus in ecclesia duas tendentias haereticas:

1 Monarchianismus (Noetus, Praxeas): *monos archē*, principium unicum; Sabellianismus (Sabellius); Modalismus (discipuli Sabelli). Deus est unicus sed sub tribus modis distinctis se revelat: vel ut legislator in VT, et tunc est Pater, vel ut redemptor in NT, et tunc dicitur 'Filius,' vel ut sanctificans, et tunc vocatur Sanctus Spiritus. Constituunt unicam tendentiam quae docet Deum ita esse unum ut inter Patrem et Filium non adsit distinctio realis, sed Filius sit *eadem numero persona* ac Pater. Idem de Spiritu Sancto. Tria nomina habentur, sed confunduntur personae.

2 Adoptionismus. Docet Christum fuisse sicut nos tantum filium Dei *adoptivum*. Est potius error christologicus, cui tamen consequenter connectitur error de Trinitate: non sunt in Deo plures personae. Praecipue fautores fuerunt: *Theodotus*: damnatus a S. Victore Papa, a. 19; *Paulus Samosatensis*, Episcopus Antiochenus, damnatus a Concilio Antiocheno, c. a. 268. In hoc concilio primo occurrit verbum *homoousios*, quod damnatur, sed alio sensu ac adhibetur in Nicaeno, i.e. in quantum significabat identitatem realem Filii et Patris *in persona* sicut *in substantia*. *Lucianus* sacerdos: mortuus martyr in persecutione Maximini, a. 313. Magnum influxum intellectualem exercuit: multi amici eius, postea episcopi facti, Arianismo adhaeserunt. Videter omnino veram divinitatem Christi negavisse.

3 Arianismus. Eius doctrina clare perspicitur ex anathematis nicaenis. Triplex error tenebatur ab Arianis (DB 54, in fine):

(A) Verbum non est aeternum: ‘erat quando non erat’ (melius formula graeca verteretur: ‘fuit momentum temporis in quo Verbum non existebat’); momentum temporis in quo incipit existere est eius generatio: ‘antequam nasceretur, non erat.’ Agitur ergo de nativitate temporali.

(B) Verbum est creatura ut aliae, ex nihilo creatum: ‘ex non existentibus factum est,’ vel saltem non factum est ex substantia primi entis: ‘aut ex alia subsistentia vel essentia.’

(C) Proinde Verbum non est immutabile, sed ‘convertibile aut mutabile.’

Arguebat:

(a) ex *scriptura*: in illa multa habentur quae sive referuntur ad humanitatem Christi, sive ita de divinitate eius loquuntur ut Filius videatur inferior Patri. Unde concludebant: Filius est inferior Patri simpliciter.

(b) ex *Origenis* commentariis in scripturam, qui ‘subordinationismo’ indulserat, saltem in suo modo loquendi et in suis interpretationibus nimis litteralibus sanctae scripturae.

(c) ex *ratione*: elementum rationalisticum adest apud omnes, non tamen eodem gradu ac apud Eunomium: plena sufficientia rationis humanae: Deus sese cognoscit omnino eodem modo ac nos illum cognoscimus; immo ex ‘confusione’: Graeci utebantur verbis *agennētos* (a *gennaō*, generare) ingenitus; et hoc dicitur proprie de solo Patre; *agenētos* (a *gignomai*, fieri) = non factus, non creatus; et hoc dicendum est tam de Filio et de Spiritu, quam de Patre. Ante Arianos utrumque verbum adhibebatur promiscue de Filio ad *idem* significandum: Filium qua Deus esse a se, at qua genitus esse ab alio; nec notata fuerat sensuum distinctio: de hac confusione abusi sunt Ariani.

2 Decretum Concilii Nicaeni: A. 325

Tria notanda sunt: quid definiatur; quo sensu intelligatur vos *homoousios*; quo sensu usurpetur vos *hypostasis*.

Quid definiatur: definitur clarissime: Filius est ‘... *de substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum de Deo Vero, natum, non factum* ...’ (DB 54), i.e. est vere Deus,

aeternus; non est creatura; solvitur ambiguitas inter *agennētos* et *agenētos*: genitus, non factus. Aliis verbis negantur omnes errores Arianismi.

Quo sensu intelligatur vos *homoousios*: *homoousios* = habet eandem substantiam ac Pater, quia natus ex ipsa substantia Patris. ‘... unius substantiae cum Patre (quod graece dicunt homoousion) ...’ (DB 54); *homos* = commune (*homa* = simul); *ousia* = essentia, substantia (*einai*); unde *homoousios* = eandem substantiam habens.

Tamen sensus qui habetur ex ipsa vi vocis debet ulterius determinari ex contextu historico:

1 *vi vocis*: de se non dicit *numericam* identitatem naturae inter Patrem et Filium. Hoc patet ex Concilio Chalcedenensi (DB 148), ubi dicitur Christum ‘consubstantialem esse Patri secundum deitatem, consubstantialem nobis secundum humanitatem.’ Nemo autem tenet unam esse numerice substantiam humanam inter Christum et nos. Ergo vi vocis non determinatur utrum Filius sit idem Deus ac Pater, an alius Deus.

2 Sed ad determinandam mentem Concilii hac voce utentis, investigandus est *contextus historicus*. Si Christiani agnoscunt *unum* Deum, Conc. Nicaenum intelligit identitatem numericam: si plures deos admittunt, retineri potest sensus vocis prout habetur in DB 148. Porro de monotheismo Christianorum non licet dubitare, sive Vetus sive Novum Testamentum inspiciatur, sive Traditio. Audivimus v.g. *Dionysium Romanum* certe profitentem (DB 48) non adesse tres Deos (iam ab a. 260). Ceterum ipsi Conc. Nicaeno contra Arium determinandum non erat ‘quot essent dii’ sed ‘utrum Filius vere esset Deus,’ unicus ille Deus quem omnes agnoverant. Unde nullum dubium de significatione vocis in Concilio.

Quo sensu usurpetur vos *hypostasis*: in fine saeculi IV Graeci agnoscebant tres *hypostaseis* et intelligebant ‘tres personas.’ Tamen illa vox non fuit semper usurpata hoc sensu. V.g. in anathemate post Symbolum Nicaenum (DB 43) *hypostaseōs ē ousias*: duo termini eodem sensu usurpantur, ut patet, scil. ‘substantia.’

3 *Oppositio contra Concilium Nicaenum*

Quia tunc temporis quaestio erat obscura, etiam nobis obscurus manet modus quo partes et factiones post Concilium ortae sese opposuerint inter se. Haec oppositio perduravit a Conc. Nicaeno (a. 325) ad Conc. Constantinopolitanum (a. 381): per quinquaginta annos habentur innumera alia Concilia et disputationes.

Oppositio tamen non statim clare manifestatur, sed praesertim inter annum 341 et annum 381. Tunc apparent quattuor opiniones, secundum possibles habitudines Filii ad Patrem.

1 Filius est dissimilis Patri, *anomoios*. Unde fautores dicti sunt *Anomoei*. Sunt Ariani simpliciter. Ita Aetius, Eunomius ... ('ala sinistra' Arianorum! ...).

2 Filius est *similis* Patri, sed similis sensu quodam diminuto: *homoios*. Hi sunt *Homoei*, ut Acacius. Nescimus in quo consisteret talis diminutio similitudinis inter Patrem et Filium.

3 Filius est *similis* Patri quoad omnia, etiam quoad substantiam: *homoiousios*. Dicebantur *Homoesiani* et hodie *semiariani*, sed erant proximi orthodoxis. Ducem habebant Basilium Ancyrensem ('ala dextera' ...).

4 Tandem orthodoxi, tenentes *consubstantialitatem*: *Homoousiani*, cuius praecipuus auctor fuit Athanasius.

N.B. Patet ergo aliquos *Homoesiani* quamvis dicant Filium quoad omnia similem esse Patri, reicere tamen vocem *homoousios*.

Rationes huius tumultus et confusionis. Cur dantur quattuor factiones et non duo tantum?

1 *Complexitas quaestionis*. Revera non una sed duae erant quaestiones prorsus diversae: utrum Filius sit Deus; utrum vocabulum *homoousion*, quod non legitur in scriptura sed in concilio in Asia peracto, sit ponendum in Symbolo fidei, et ita necessario ponendum ut qui illud reiciat habendus sit haeticus et poenae aeternae debeat damnari. Quaestio erat de evolutione dogmatis.

Utraque quaestio difficilis erat etiam separata, sed difficilius adhuc erat eas distinguere, cum nascerentur ex uno eodemque decreto nicaeno.

Quoad primam quaestionem: difficultas aderat exegetica. Ipsa probatio divinitatis Christi ex textibus NT non est tam facilis: requiritur etenim selectio textuum et bona explicatio eorum,

quod quidem non uno die factum est systematice. Praeterea, difficultas speculativa tunc maior erat quam nunc. Duplex affirmatio teneri debet de Christo, quae videtur opposita eius simplicitati divinae: est realiter a se, quia Deus; est realiter ab alio, i.e., realiter pendet ab alio, scilicet est genitus. Non aderat tunc clara distinctio persona-substantia, neque nomen aptum ad designandam personam prout a substantia ratione distinguitur: unde terminologia eorum manebat confusa, prout patet ex Concilio Alexandrino (a. 362) ab Athanasio convocato: aliqui Patres tenebant tres adesse ‘hypostaseis,’ alii unam in Deo: unde Athanasius bene notavit agi de quaestione terminologica, et hoc post Nicaenum Concilium. Unde difficultas erat etiam terminologica.

Quoad secundam quaestionem: de legitimitate introducendi in Symbolum vocem quae non invenitur in NT: difficultas preveniebat ex eo quod ageretur de primo Concilio Oecumenico. Si adhuc hodie, post tot Concilia, disputatur circa problema de evolutione dogmatum, eo magis tunc temporis disputabatur, quando haec quaestio ne cognoscebatur quidem ut problema. Per modum exceptionis (dicebat enim melius futurum esse tantum verba Scripturae adhibere) Athanasius huic solutioni favit. Unicum medium erat confundendi errorem arianum.

2 Alia elementa, historica potius quam ad doctrinam pertinentia, complexiorem reddebant quaestionem:

(a) *imperatorum interferentia* in quaestiones theologicas. Usque ad Constantinum imperatores erant pagani et infensi Ecclesiae, propterea non sese ingerebant in quaestionibus internis Ecclesiae. Constantinus aliquomodo convocat et praesidet ipso Concilio Nicaeno. Successores eius sequuntur potius doctrinam arianam: Constantius praesertim, qui fuit authenticus ‘caesaro-papista,’ doctrinam arianam omnimodo sustinuit, Concilia convocavit, orthodoxos poenis persecutus est.

Ex interventione potestatis civilis in rebus ecclesiasticis res parum aedificantes fiunt in ecclesia: incipit ‘diplomata’ ecclesiastica, lucta inter factiones omnibus mediis utitur, impugnationes saepe fiunt contra Athanasium (quinquies relinquere debuit sedem episcopalem et per 17 annos in exilio vixit) et episcopos orthodoxos non propter doctrinam sed ob rem temporalem.

(b) *organisatio ecclesiae*: multum valebat iam a tempore persecutionum auctoritas localis episcopi. Omnes ecclesiae unius regionis sunt membra communitatis alicuius (*koinōnia*), ita ut unio directa habeatur inter omnes episcopos illius regionis et tantum quatenus ipsi inter se uniuntur habent relationes ad Sedem Romanam. Hodie e contra episcopi inter se uniuntur quatenus communionem directam habent cum Sede Romana. Differentia non erat in natura organismi ecclesiastici, sed in modo concreto quo historice res procedebant: tempore persecutionum et difficultatis in communicationibus magis valuit unio episcoporum localium et tantum his episcopis mediantibus unio inter omnes possibilis erat. Talis organisatio difficile reddebat promptam decisionem alicuius controversiae per unanimem sententiam episcoporum. Omnes episcopi convocandi erant in unum ad obtinendum concilium oecumenicum. Post decisionem aliquam dogmaticam, difficultas habebatur in sua communicatione ...

(c) Nondum clare patuerat sicut hodie peculiaris *valor decretorum* Conciliorum, cur aliquod Concilium esset oecumenicum prae aliis provincialibus: differentia specifica nondum erat definita. Valor ille pendet a traditione: facilius computatur post 20 Concilia Oecumenica quam statim post primum. Ipsa vox ‘concilium’ nondum existebat pro istis circiter 300 Episcopis Nicaenis.

Cur Ponitur Nostra Thesis?

Rationalistiae et Liberales obiiciunt saeculo IV non affirmari consubstantialitatem *numericam* Patris et Filii, sed solum *specificam*. Patres IV saeculi essent ‘ditheistae.’ Haec obiectio, sicut omnes obiectioes, non caret quodam fundamento: de patribus saeculi IV idem fere dicendum est ac de Apologetis: nondum perfecte doctrinam trinitariam evolverunt, unde quaedam potuerunt dicere quae logice ducerent ad ‘ditheismum.’ Rem fusius perspiciemus.

1 Quaedam differentiae dantur in mentalitate Occidentalium et Orientalium. *Occidentales* magis insistebant in *unitate* divina quam in *trinitate* clare distinguenda: inde periculum erat illis incidendi in monarchianismum, sabellianismum, modalismum. *Orientalis* habebant tendentiam

oppositam: ita clare distinguebant ‘tres personas’ ut eorum periculum esset ‘subordinationismus’ (arianismus). N.B. Hae differentiae respiciebant non quod affirmatur et creditur ut verum, sed quod *saepius* affirmatur et dicitur. Ergo Occidentales et Orientales, in sese invicem diiudicandis, facilius haeresim suspectabant.

2 *Patres Cappadoces* agnoverunt quod, data distinctione personarum in Deo, unaquaeque persona debet aliquid *sibi proprium* habere. Distinxerunt ergo inter *commune* et *proprium*, et omnino recte. (Cfr. Praefationem Sanctissimae Trinitatis.) Sed in quonam consistit illud quod est commune et in quonam illud quod est proprium? Responsio exigit investigationem metaphysicam. Patres Cappadoces autem ontologiam nondum perfectam pellebant et nondum perfecte gressus ultiores potuerunt facere quos res trinitaria exigebat. Loco perficiendi speculationem ex principiis quae *postea* nos cognovimus veriora et saniora, platonismo adhuc indulgentes, difficultates distinctionis personarum in Deo solvere conati sunt secundum principia minus solida. Ita, v.g., *Gregorius Nyssenus*: *unus* est Homo (= natura humana, idea platonica hominis) et alii homines non sunt nisi participationes istius *unius* quod est unicus et solus vere realis Homo. Eodem modo *tres personae* in Deo non faciunt difficultem contra *unitatem* Dei. Unde Rationalistae hodierni concludunt: Gregorius Nyssenus, qui ponit istam paritatem, affirmavit unitatem *specificam* Dei, non *numericam*, immo affirmavit implicite unitatem numericam Deorum. In hoc puncto invenimus eandem difficultatem ac in Apologetis, et eadem est *responsio*: aliud est fidem affirmare, aliud est fidem alio modo intelligere et explicare (cfr. primam difficultatem in fine thesios).

Nota: de mutatione sensus in usu vocis *hypostasis*. Vox *hypostasis* sumebatur generatim pro *ousia*, i.e., pro ‘essentia,’ ‘natura,’ ‘substantia.’ Cfr. v.g.: in ipso Concilio Nicaeno, anathema post Symbolum (DB 54); in Synodica Concilii Sardicensis; in Concilio Romano sub Damaso; item Athanasius, Epiphanius, Cyrillus Hierosolimitanus, Cyrillus Alexandrinus (DB 115), et inter Latinos Hieronymus.

Athanasius, quamquam cognovit alios usurpare vocem sensu ‘persona,’ quamquam approbavit, tamen ipse non adhibuit tali sensu. Mutatio facta est in secunda medietate saeculi IV

a Patribus Cappadociae, Basilius M., Nazianzenus, Nyssenus ... qui tribuunt voci sensum ‘personam.’ Indigebant enim voce aliqua ad designandum elementum distinctivum in Deo. Inde vox invenitur hoc sensu in Synodica Concilii Constantinopolitani I (Kirch, 652), in Chalcedenense (DB 148), in Constantinopolitatio II (D. 213), etc. Notandum tamen est saec. V nondum haberi usum constantem huius vocis, ut patet ex differentia quam de ipsa invenimus apud Cyrillum Alexandrinum et Chrysostomum.

Argumentum

Probatio fit ostendendo Patres saec. IV fuisse contrarios sive haeresi monarchianae sive haeresi arianae.

Thesis est historice et theologicæ certa.

1 Circa haeresim monarchianam: Patres affirmant distinctionem Filii a Patre realem atque aeternam.

a *Dionysius Alexandrinus*: prius scribens contra Samosatensem ita distinxit personas ut visus sit substantiam separare, et tunc scripsit *Apologiam* in qua et unitatem essentiae et distinctionem servaret. Apologia ad nos non pervenit, tamen plura ex illa citantur in opere Athanasii ‘De sententia Dionysii,’ in quo voluit defendere orthodoxiam sui praedecessoris. V.g.:

‘Nequaquam fuit quando Deus non erat Pater ... Luce enim semper existente, manifestum est et splendorem semper existere: eo enim ipso lucem esse intelligitur quod splendeat, ac fieri nequit ut lux non luceat ... Cum igitur aeternus sit Pater, aeternus est et Filius, lumen de lumine. Nam si genitor est, et filius; quod si filius non est, qua ratione et cuius potest esse genitor? Atqui ambo sunt et semper sunt.’ (De Sent. Dion. N. 15. Cfr. Boyer p. 63)

Clarissime affirmatur aeternitas Filii. Argumentatio fundatur in Epistola ad Hebr. 1.3: Filius est splendor gloriae Patris. Non adest lux sine splendore, neque Pater sine Filio.

‘Ut enim mens nostra eructat a seipsa verbum, ut ait Propheta: “Eructavit cor meum verbum bonum”’: estque utrumque alterum ab altero, proprium et ab altero distinctum obtinens

locum, cum illud quidem in corde, istud in lingua et ore commeretur et moveatur: non tamen alterum ab altero distat, nec se invicem privantur: neque mens sine verbo est, neque verbum sine mente: sed mens verbum facit et in ipso apparet, et verbum mentem exhibet in qua factum est: mensque est quasi verbum immanens, verbum autem quasi mens prosiliens: mens in verbum transit, verbum mentem in circumstantes auditores insinuat: et sic mens per verbum in auditorum animis collocatur, et una cum verbo intrat. Ac mens quidem est quasi pater verbi, in seipsa existens: verbum autem quasi filius mentis, non ante ipsam quidem, sed neque extra ipsam factum esse potest, sed cum ipsa existit et ab ipsa germinavit. Eodem quoque modo Pater ille maximus et mens illa universalis ante omnia Filium habet, Verbum, interpretem et angelum suum.’ (Athanasius, Pars I De Sent. Dion. N. 23; Boyer p. 63)

Affirmat distinctionem. Simul tamen verbum expressum non potest separari a verbo in corde, secus verbum quod profertur careret sensu.

Ex his duplex testimonium habetur: et Dionysii et ipsius Athanasii.

b *Casus Marcelli Ancyrae*: casus obscurus.

Habuit discipulum *Photinum*, certe haereticum. Habebatur suspicio in Oriente de ipso Marcello. Tamen Marcellus appellavit Romae et eius professio fidei approbata est a papa Julio I, in qua dicebatur Filius ‘indivisa Dei virtus ... cum Deo regnans, cuius regni, ut testatur Apostolus (Lc 1.33), non erit finis.’ (Epist. Julii I, apud Epiphanium, Haer. 72, 2-3. Boyer p. 64)

Photinus autem anno 345 damnatus est cum illis qui asserebant distinctionem inter Verbum internum, prolatum Dei, non distinctum ab ipso Deo, et Verbum creatum, Christum Filium Dei, non aeternum nec increatum; et aiebant regnum Christi finem habiturum esse post consummationem et iudicium. Haec damnatio renovavit suspiciones etiam circa Marcellum, qui dictus est facile acceptare *homoousion* Nicaenum eo quod distinctionem personarum in Deo non agnosceret. Tota quaestio occasio fuit tum Orientalibus tum Occidentalibus asserendi *distinctionem personarum*.

2 Circa haesim araianam: Docetur *consubstantialitas* Patris et Filii. *Consubstantialitas*: (a) *vi vocis* non habetur argumentum: potest enim significare eandem naturam specificam, non numericam; (b) *via historica* vere res facile solvitur. (Cfr. quae diximus de Dionysio Romano ad Dionysium Alex. in thesi II. Neque in NT neque in VT agnoscuntur tres dii. Omnes Christiani agnoverunt unum Deum.) Proferimus aloquos textus explicitos:

(1) *In ipso Concilio Nicaeno*:

a *Testatur Athanasius*: Patres Concilii verbum *homoousion* elegerunt ‘ut significarent Filium esse ex Patre non tantum similem, sed etiam similitudine eandem rem’ (De decretis Nic. Syn. 20. Cfr. Boyer p. 65). ‘Verum ubi episcopi illorum simulationem hac in re adniverterunt dolumque esse in cordibus impiorum mala cogitantium, ut ait Scriptura: sententiam rursus ipsi ex Scripturis colligere sunt coacti, et quae antea dixerant, eadem clarioribus verbis significare ac denique scribere Filium patri esse consubstantialem, ut scilicet significarent Filium non tantum similem, sed eandem rem similitudine esse ex Patre.’ Ergo vox ‘consobstantialis’ addita est ex impossibilitate damnandi Arianos ex solis verbis Scripturae. Modus quo Ariani poterant eludere Scripturam ab Athanasio praeccluditur: ‘Verum cum Filii ex Patre generatio alia plane sit a natura hominum, nec solum similis ille sit substantiae Patris, sed dividi ab ea non queat, cum item unum ipse et Pater sint, ut idem dixit (Jo. 10.30) semperque Verbum sit in Patre et Pater in Verbo (Jo. 10.38) eo modo quo splendor se habet ad lucem, id etiam dictio ipsa significat: idcirco synodus, ea re perspecta, eum esse consubstantialem recte scripsit, ut et haereticorum perversitatem everteret, et Verbum aliud a factis rebus ostenderet’ (ibid. n. 20. RJ 755).

Athanasius utitur hic duobus argumentis: (a) Ex ratione: habetur homo similis homini per generationem. Sed alius est homo pater, alius est homo filius, quia habent materiam, principium individuationis et divisionis. At Deus est purus spiritus: et in spiritualibus ac divinis generatio non potest esse per divisionem substantiae quae est indivisibilis quia spiritualis. Hic argumentandi modus non relinquet dubium de mente Athanasii. (b) Ex Jo. 10.30: ‘Ego et Pater unum sumus.’ Jo. 20.38: ‘Pater in me est et ego in Patre’ (cum relatione ad Hebr. 1.3).

Ergo secundum Athanasium mens Concilii erat verbum ‘consubstantiale’ significare consubstantialitatem numericam inter Patrem et Filium.

Insuper reicitur Filium esse ex substantia alia, vel ex nihilo, scilicet esse creaturam: ‘His vere qui dicunt Filium Dei ex nihilo sive ex non existentibus esse, vel creatum vel mutabilem vel factum vel ex alia substantia, anathema dicit sancta et catholica Ecclesia.’ Quibus utique dictis aperte declaratur his vocabulis ‘ex substantia’ et ‘consobstantialis’ deleri impietatis voculas, quibus aiunt Filium esse rem creatam, conditam, factam et mutabilem, nec prius fuisse quam genitus est’ (De Decr. Nicaen. Syn. n. 20. Cfr. Boyer p. 66).

Conclusio est: Filius est ex substantia Patris et quia substantia Patris est indivisibilis, substantia Filii est ipsa substantia Patris, unde Filius dicitur *homoousios*.

b *In Synodo Sardicensi*: ubi interfuerunt Patres fidei nicaenae defensores: ‘Credimus unam esse *hypostasin*, quam ipsi haeretici dicunt *ousian*, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Et si quaerant quae sit Filii *hypostasis*, confiteamur eam esse quam et Patris solam esse in confesso est’ (Theodoretus, Hist. Eccl. 2, 6. Cfr. Boyer p. 66). Ubi nota sensum vocis *hypostasis* = essentia.

2 *Post Concilium Nicaenum*: Inspiciamus opera Athanasii et Patrum Cappadocum: sic nobis apparebit speculationem scholasticam non incepisse in Medio Aevo.

a *Athanasius*: Oratio III contra Arianos: ‘Filius enim in Patre est quantum licet intelligere, quia *totum quod est Filius, hoc naturae Patris proprium* est, eo modo quo ex luce splendor et ex fonte fluvius exoritur ... Nam cum *forma et divinitas Patris hoc ipsum sit quod est Filius*, omnino sequitur ut Filius sit in Patre et Pater in Filio. Quocirca cum antea dixisset: Ego et Pater unum sumus, hic recte ait: Ego in Patre et Pater in me est, ut scilicet eandem amborum divinitatem unamque naturam esse doceret’ (RJ 768). Athanasius in hoc loco intendit praesertim quod est commune Patri et Filio, aequalitatem inter Patrem et Filium, et per hanc aequalitatem intelligit verba Scripturae: ‘Ego et Pater unum sumus,’ ‘Ego in Patre et Pater in me est.’ Quae

proponuntur de fide, sic proponuntur non quia intelliguntur sed quia creduntur. (Patres Cappadoces videbunt insuper necessitatem distinguendi inter *commune* et *proprium*.)

‘Unum enim illi sunt, non quod unum in duas partes sit divisum, quae nihil sint praeter unum, neque quod unum bis nominetur, ita ut idem aliquando Pater, aliquando sui Filius fiat; quae cum sentiret Sabellius, haereticus est indicatus. Verum duo quidem sunt, quia Pater pater est, nec ipse est filius, et vicissim Filius est filius, nec ipse pater est ... Hinc Filius alius non est Deus quia non extrinsecus effectus est; alioquin complures dii inducerentur, si extranea excogitaretur divinitas praeter Patris divinitatem ... Filii divinitas est quoque ipsa Patris, quam quidem ob causam individua est atque hoc pacto unus est Deus: et Deus erat Verbum’ (ibid. Cfr. Boyer p. 67).

Divinitas, substantia spiritualis, divisionem non admittit. Generatio Filii non importat divisionem. Non unus idem duobus modis nominatur: Pater postea Filius. Vere duo unus sunt: habetur unus et tamen distinctio. Unde non confunduntur personae ita tamen ut non distinguatur substantia.

Filius nec creatus nec factus, sed genitus: hinc exurgit relatio cum Patre licet sit eadem substantia. Si factus esset, esset alia substantia: ‘extrinsecus effectus.’ Alioquin plures dii darentur, haberentur duae divinitates. Ergo habetur distinctio realis, tamen divinitas Filii est ipsa divinitas patris. Ergo unus Deus, eadem essentia. Ergo clare docetur consubstantialitas non solum *specificam* (ut inter homines) sed et *numericam*. Unde clare apparet doctrinam Athanasii esse eandem ac nostram, atque falsum esse Athanasium non agnovisse mysteriositatem dogmatis trinitarii.

b *Patres Cappadoces*

Gregorius Nazianzenius, Orat. Theol. 5, 9: ‘Et hoc ipse quod ingenuus sit et quod genitus et quod procedat, hoc effectum est quod alius pater, alius Filius, alius Spiritus Sanctus appellatur atque ita inconfusa trium personarum distinctio in una divinitatis natura et dignitate conservetur. Neque enim Filius est Pater: unus enim est Pater; sed est id quod est Pater; nec

Spiritus est Filius quia ex Deo est: unus enim unigenitus, sed est id quod Filius; *tria haec unum si divinitatem spectes, et unum tria si proprietatum rationem habens*, ut nec unum Sabellio faceat, nec tria pestiferae divisioni quae viget. Quid ergo? Spiritus Sanctus est Deus? Maxime. Consubstantialis igitur? Prorsus, siquidem Deus' (RJ 996).

Gregorius vixit in secunda medietate saeculi IV: iam habetur progressus relate ad Athanasium (295-373). Dum hic docebat tantum Patrem esse Patrem quia pater et Filium esse Filium quia filius, Gregorius invenit tria elementa distinctiva in eo quod Pater est ingenitus, Filius genitus, Spiritus procedens. Insuper Filius est *unigenitus*, scilicet solus genitus. Spiritus ergo non est genitus, non est Filius. Progreditur proinde intelligentia dogmatis et habetur ratio distinctionis personarum. Tamen Filius est *id quod est Pater*, Spiritus est *id quod est Filius*: ubi per 'id quod est' clarissime divinitas intelligitur. Tria sunt unum si *divinitatem* spectes et unum tria si *proprietatem* rationem habens, scilicet earum quae addita sunt super Athanasium: esse ingenitum, esse genitum, procedere. Praeterea ex eo quod contra Sabellium et tritheismum agat, clare docet Gregorius hic agi de consubstantialitate numerica.

Basilii, Epis. 189 (cfr. Boyer pp. 67-68): Demonstramus 'anathematizari a nobis quisquis tres Deos dixit ac ne Christianum quidem iudicari ...' Sacra scriptura non patitur multos esse deos.

Gregorius Nyssenus, Orat. Catech. C. 3 (cfr. Boyer p. 68): Catholica Trinitas medium locum tenet inter dogma Iudaeorum, qui distinctionem personarum divinarum negant, et errorem Graecorum, qui multos deos admittunt.

Ergo Patres Cappadoces cognoverunt distinctionem personarum fundari in earum proprietatibus. Fundamentum vere ontologicum harum proprietatum conceperunt quasi attributum additum divinitati. In quo non ita bene respexerunt. Sed ex difficultatibus eorum explicationum, non licet devenire ad negationem eorum doctrinae trinitariae, uti faciunt Rationalistae et Protestantes liberales.

Aliquid plus fecit Augustinus, aliquid plus S. Thomas: tamen adhuc manet mysterium.
Sed circa Trinitatem, unica est omnium fides.

Ergo iterum concludimus: accipiendum est quod Patres credunt, non quod intelligunt,
quod potest quidem deficere.

Difficultates

1 Basilius, Epist. 236, n. 6: ‘Eadem est differentia inter essentiam et hypostasim ac inter commune et singulare, inter animal et illum hominem’ (RJ 926). Ergo unitatem divinitatis non numericam, sed solummodo specificam Cappadoces admittunt.

Quod Basilius dicit aliquo modo est verum, alio modo est falsum. Verum est divinitatem esse quid commune tribus personis. Tamen commune, qua commune, in creatis est tantum abstractio quaedam, dum in divinitate est quid concretum: una eademque numerice divinitas.

Si ergo Basilius res ita intelligit ut analogiam omnino perfectam statuatur inter quod est commune in divinis et quod est commune in humanis, certe errat, nam resultaret in divinis sola consubstantialitas specifica.

Quod autem Basilius nullimodo dubitaverit de unicitate Dei apparet ex iis quae dicit contra Eunomium (cfr. Boyer p. 69): ‘Non in Patre et Filio deitatis communionem cernimus sed unitatem.’

Resp.

Indirecte. (a) Si eodem sensu intelligeret *commune* et *proprium* de Patre et Filio ac de Petro, Paulo, Jacobo ..., alibi certe Basilius aliter locutus esset. Nam patres Cappadoces, quamvis agnoscerent tres personas, numquam admiserunt tres Deos, sicut e contra tres homines: Petrum Paulum, Jacobum.

Nota tamen quod ista responsio non est omni exceptione maior: Patres enim agnoscebant differentiam inter Petrum, Paulum, Jacobum ..., tamen modo platonico intelligebant, i.e., non tam clare perspiciebant humanitatem Petri et Pauli et Jacobi ... esse aliam et aliam humanitatem.

(b) Argumentum apodicticum: Cappadoces habebant Trinitatem ut magnum mysterium, dum nullum mysterium habebant circa praedicationem humanitatis de Peter, Paulo, Jacobo. Ergo non certe eodem modo intendebant praedicare id quod *commune* est in divinis personis et in hominibus, et modo tantummodo imperfecte analogico. Nunc autem, quando loquimur de analogia, requiritur evolutio methodi theologicae sat perfecta, quae nondum existebat saec. IV.

Directe (cfr. Boyer p. 69). Basilius comparisonem affert non ut omnia quoad omnia valeant sed ut adiuvet ad intelligendum quod in divinis aliquid sit commune tribus et aliquid singulis proprium. Prosequitur enim: ‘si enim non consideremus definitas uniuscuiusque proprietates, puta paternitatem, filiationem et sanctificationem, sed ex communi essentiae ratione Deum confiteamur, fieri non potest ut sana fidei ratio reddatur. Oportet igitur ut communi proprium adiungentes ita fidem profiteamur: commune deitas, proprium paternitas ...’ Nunc vere inter homines non sola paternitate pater differet a filio ...

2 Explicite Cappadoces excludunt consubstantialitatem numericam: ‘Nos unum Deum non quidem numero sed natura profiteamur’ (Evagrius Ponticus, in Ps. Basil., coist. 8, 2. Cfr. Boyer p. 69).

Resp. Falsa est illatio ex mentalitate platonica ad nostram mentalitatem. Evagrius negat in Deo unitatem numericam quatenus in mentalitate platonica numerus pertinet ad res materiales. Unde non negat quam nos vocamus consubstantialitatem numericam, sed quam aristotelice vocaremus unitatem praedicamentalem. Habetur unus Deus secundum unam naturam intelligibilem, nullam habens materiam adnexam. Quare nulla quaestio de ‘numero’ fieri debet circa Deum.

3 Ubi est identitas non est loquendum de similitudine. Sed Patres postnicaeni defendunt Filium esse *similem* Patri quoad naturam.

Resp. Ubi habetur identitas non est ponenda similitudo quae excludat identitatem, Concedo. ... quae extendatur usque ad identitatem: Non constat. Patres extendunt similitudinem usque ad identitatem: propter hoc reicerunt sententiam genuinorum Homoeousianorum.

4 Statim post Concilium Nicaenum dicebatur unam esse Patris et Filii et Spiritus Sancti *hypostasin*; postea admissa est formula: una substantia, tres *hypostases*.

Resp. Antea *hypostasis* significabat ‘substantiam.’ Postea significavit personam. Mutatio in sensu vocis non significat mutationem doctrinae.

5 Concilium Constantinopolitanum suppressit verba nicaena: Ex substantia Patris.

Resp. Non constat cur omissa sint. Secundum quosdam Patres quia hic sensus iam continebatur in verbo *homoousion*, quod retentum fuit.

6 In Concilio Constantinopolitano I non dictum est Spiritum Sanctum esse Deum.

Resp. Sed dicitur aliquid quod antea non dicebatur, scil. ‘Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur,’ ex quo significatur Spiritum Sanctum esse tertiam personam consubstantialem Patri et Filio, scil. Deum. Post Nicaenum difficultas orta est ex modo loquendi non scripturistico, unde in hoc Concilio maluerunt hanc expressionem non technicam.

Thesis 4: Existentia trium personarum in Deo, etiam postquam per revelationem divinam cognita est, non potest naturali rationis lumine sufficienter demonstrari.

Cfr. Boyer pp. 72-87.

De natura mysteriorum (cfr. Conc. Vat. sess. III cap. IV, ‘De fide et ratione,’ DB 1955 ss. et canones correspondentes, DB 1816 ss.).

Mysterium: (1) stricte dictum nequit naturaliter cognosci etiam quoad existentiam; (2) late dictum: obiecta naturaliter non cognoscibilia ex defectu rectae propositionis.

Duplex ordo cognitionis: DB 1795. Mysterium stricte dictum praesupponit distinctionem systematicam inter naturam et supernaturam. Huic distinctioni respondet ordo cognitionis duplex: (1) ex parte principii, quia duplex est principium a quo procedit cognitio: ratio naturalis

et fides divina; (2) ex parte obiecti, quia praeter obiecta naturalia, dantur mysteria in Deo abscondita quae nisi revelentur innotescere nequeunt.

Mysteriorum intelligentia: DB 1796. Ratio per fidem illustrata aliquid de mysteriis revelatis imperfecta intelligentia cognoscere valet duplici modo: (1) ex analogia eorum quae naturaliter cognoscuntur; (2) ex nexu mysteriorum inter se et cum fine ultimo. Numquam tamen mysteria percipi possunt ut obiectum proprium intellectus humani quod est intelligibile in sensibili. Eorum ideo necessario imperfecta cognitio non fundatur in accidente quodam individuali vel historico: (quasi per evolutiones historicas et successivas inquisitiones theologicas evidentius fiat mysterium. Quae opinio excluditur per verba ‘*suapte natura* intellectum creatum excedunt.’) Nulla ulterior inquisitio vel evolutio poterit auferre obscuritatem propriam illius rei pro nostro intellectu.

Relatio inter fidem et rationem: DB 1797. Nulla vero umquam contradictio adesse poterit inter fidem et rationem quia idem Deus est a quo utraque procedit.

Immutabilitas dogmatum: DB 1800. Sensus dogmatum perpetuo est retinendus quem semel declaravit Ecclesia; et si augetur intelligentia, scientia et sapientia hoc fit in eodem dogmate, eodem sensu eademque sententia, seu dogmate immutabili et determinato manente, habetur evolutio intelligentiae mysteriorum.

Sub anathemate: DB 1816. Conc. damnat possibilitatem intelligentiae omnis mysterii stricte dicti: quod nempe ex sola ratione omnia mysteria possint intelligi et demonstrari. Contra Hermes, Frohschammer, Günther.

Imperfecta intelligentia mysteriorum

Intellectus naturaliter intelligere potest obiectum proprium et adaequatum, quod est ens, sed diversimode:

In Deo: divina essentia perfecte cognoscitur et in ipsa omne ens: obiectum proprium identificatur cum obiecto adaequato;

In angelo: obiectum proprium est eius essentia in qua, ut in perfecta imagine, Deus cognoscitur et cetera per species infusas a Deo;

In homine: abstrahendo a phantasmatis forma attingitur in quidditate rei sensibilis ut in obiecto sibi proprio, seu obiectum proprium est natura in sensibilibus.

Circa modum quo efformantur conceptus: in sententia conceptualistica, non prior est actus intelligendi, sed prius formatur conceptus modo mechanico et inconscio; in sententia S. Thomae, actus intelligendi habetur ex verificata existentia cuiusdam propositionis analyticae (si *A* tunc *B*) ita ut nullus datur transitus a principio analytico ad iudicium nisi propositio *in existente* verificetur (atqui *A*: ergo *B*). Demonstratio *a simultaneo* non valet quia requiritur iudicium existentielle ut propositio analytica valeat. Unde praeter actum intelligendi requiritur sapientia qua seliguntur principia analytica et applicantur ad existentia (cfr. I-II, q. 66, a. 5, ad 4m).

Hac cognitione de Deo demonstrantur: (1) *existentia Dei*, in quantum ipse est primum principium et ultimus finis; (2) *illa attributa quae consequuntur Ipsum prout est ens* (series attributorum transcendentalium: Veritas, Bonitas, Pulchritudo);

(3) *illa attributa quae consequuntur Deum prout est natura quaedam* (scientia, vita, voluntas, amor, potentia, etc. Cfr. I, qq. 3-26).

Praeter ea quae de Deo possumus demonstrare dicimus multa esse vera de Deo quae non possumus cognoscere. Cognitio enim analogica est secundum partialem similitudinem. Eo ipso quod habetur analogia (analogia sunt quae simpliciter sunt diversa, secundum quid eadem) habetur *et similitudo et dissimilitudo*. Sed cum similitudo sit causa eorum quae cognoscimus, dissimilitudo seu diversitas dicit adesse etiam aliqua quae cognoscere non possumus. An vere hae perfectiones sint ad extra imitabiles necne a priori statuere non possumus.

Ratio potest statuere ipsum *factum* revelationis, et determinare ea quae positive in illa continentur (= theologia dogmatica positiva). Ulterius possumus pertingere ad aliquam intelligentiam mysteriorum, sed per *quandam* analogiam ad dissimilia aliquomodo cognoscenda,

procedendo ab his quae *imperfecte* sunt similia (v.gr. ex modo quo in nobis actus procedit ab alio actu, possumus aliquid suspicari de modo quo in Deo una Persona procedit ab alia). Exurgit ita veluti ‘spectrum’ quoddam similitudinum et dissimilitudinum, in quo scilicet habentur quaedam similitudines quae minuuntur, et quaedam dissimilitudines quae augentur, ut tandem deveniatur ad perfecte dissimilia, et cesset intelligentia.

Quia vero conceptus non efformantur modo mechanico et inconscio, ad amovendas contradictiones in ulteriori analysi mysteriorum, requiritur quaedam intelligentia et dissimilitudinum. Semper attendendum est ad *diversitatem* in ipsis conceptibus, ut intelligatur modus procedendi.

Si nulla habetur mysteriorum intelligentia non potest fieri scientia theologica speculativa. Si vero tantum nomina intelliguntur (unus, tres) conceptus habentur nominalistici, et nihil de re concipitur. Ita, v. gr. S. Thomas in IV Contra Gentes, postquam locutus est de existentia Filii Dei (cc. 1-9), in c. 10 affert obiectiones seu rationes contra generationem divinam, quas tunc solum solvet (c. 14) cum accurate aliquam intelligentiam exposuerit de Filii generatione (cc. 11-13). Fides enim non defenditur absque intelligentia fidei.

Imperfecta illa intelligentia, illi conceptus, illae relationes mysteriorum non sunt eiusdem naturae ac intelligentia de *proprio* obiecto intellectus nostri, quod est intelligibile in sensibili. Quando adducuntur analogiae *imperfectae*, conceptus sunt ex sua natura *imperfecti*, quatenus ex rebus creatis *aliquid* de mysterio vitae Dei cognoscere possumus.

Pars prior probatur. Existentia trium personarum in Deo non potest naturali rationis lumine sufficienter demonstrari. Cfr. Boyer, pp. 72-79.

Nota theologica: Proxima fidei (ex Concilio Vaticano, ut supra ostensum est). Trinitas, enim, semper habita est altissimum mysteriorum.

Ex Sacra Scriptura: non habetur eadem elaboratio ac in Vaticano, sed indicia sufficientia proponuntur ut talis elaboratio iure statuatur.

Ad rem directe agit: Matt 11.27: ‘Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius et cui voluerit Filius revelare.’ Statuitur necessitas revelationis ad cognitionem Patris et Filii; talis vere cognitio constituit maiorem partem mysterii SS. Trinitatis.

Dein conferunt: 1 Cor 2.10-11: ‘Quae Dei sunt nemo cognovit nisi Spiritus Dei.’ Suadetur existentia mysterious in genere. Io 1.18: ‘Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.’ Negatur visio Dei hominibus, quin specificetur natura visionis; sed videtur agi de cognitione immediata quia asseritur unigenitus Filius enarrationem fecisse, dum pro cognitione mediata talis enarratio non requiritur, immo aliunde constat ipsam nos posse habere.

Ex Patribus: (cfr. citationes apud Boyer p. 78).

In Synodo Antiochena (anno 268: circa 70 episcopi damnaverunt Paulum Samosatensem, monarchistam et adoptionistam) affirmatur nos non habere de Deo dignam cognitionem, sed per revelationem Filii nobis adesse quae sufficiant.

S. Hilarius: monet quod de Patre debemus sentire una cum Filio qui solus est testis fidelis.

S. Ambrosius: ‘Impossibile est generationis scire secretum. Mens deficit, vox silet.’

S. Hieronimus, ut semper, modo quadrato: ‘De mysterio Trinitatis recta confessio est ignoratio scientiae.’

Ex ratione: Argumentum a P. Boyer propositum (ex modo proprio agendi in Deo) (pp. 78-79) nititur in eo quod quidquid efficitur a Deo, secundum naturam divinam efficitur, ideoque nullus effectus creatus adesse potest, qui sit proprium singulis personis, a quo ascendamus ad cognitionem personarum. Sed haec ratio procedendi videtur non sufficienter distinguere inter agens naturale et id quod Deus agit per suam naturam. Agens naturale dividitur ab agente per intellectum. Agens naturale (ignis) semper agit secundum suam naturam atque producit tantum entia suae naturae similia; agens vero secundum intellectum (artifex) ea producit quae concipit, utique et ipse per formam inditam, sed haec est intentionalis. Tres Personae agunt ad extra in quantum habent eandem divinam essentiam, omnipotentiam, etc., et non secundum propria; et ita

verum est Deum agere ad extra per suam naturam. At natura divina est intellectualis, ideoque omnia facit per suum intellectum, adiecta voluntate. Quia vero optime cognoscit suam Trinitatem posset etiam similitudines Trinitatis producere. In quantum ergo ad solum modum agendi divinum attendimus non demonstratur non posse a Deo produci aliquem effectum a quo procedere possimus ad cognoscendam Trinitatem.

Impossibilitas ideo naturaliter cognoscendi Sanctissimam Trinitatem desumenda est potius *ex nostra incapacitate*.

Cognitio nostra de Deo est analogica, unde eius obiectum sunt et similitudines et dissimilitudines inter Deum et nos. Circa similitudines, cognoscimus *factum*, et insuper *medium* habemus ad determinandum in Deo aliquem aspectum positivum correspondentem: et sic adstruimus theologiam naturalem positivam. Circa dissimilitudines autem cognoscimus *tantum factum* quod dantur, quin attingere valeamus ea quae sunt dissimilia, seu ea quae positive in Deo correspondent his dissimilitudinibus. Hoc quia *medium* cognitionis, in cognitione analogica, tantum ex similibus desumi potest. Hoc pertinet potius ad theologiam naturalem negativam.

Quaestio nostra proinde sic ponitur: potestne Trinitas cognosci analogice, ita ut ex simili in creatis deveniatur ad illam? Seu Trinitas inveniturne in cognito simili an in dissimili? Responsio negativa danda est primae quaestioni: nam Trinitas invenitur in cognito dissimili. Ex similibus concluditur Deum esse Unum et Simplicem, unde videretur in eo Personalitas, magis quam in nobis, in uno tantum supposito verificari. E contra, ex revelatione scimus simplicitatem divinam non excludere trinitatem personarum. Quamvis enim Trinitas non contradicat Theodicaeae, ita differt ab eis quae naturaliter cognoscuntur ut inter dissimilia sit connumeranda. Deus igitur sola ratione cognoscitur tamquam nobis analogus, quatenus est Unus; prorsus autem, tamquam Trinus ignoratur.

Utique etiam in humanitate una est natura et plures sunt personae, at natura humana est composita ideoque habet in se principium materiale quo multiplicentur individua, intra speciem; dum contra in Deo nulla datur compositio, ideo nulla multiplicatio intra speciem: et tamen in eadem numero natura dantur personae divinae. Quae enim sunt diversa, aut differunt quia habent

diversam naturam seu intelligibilitatem (angeli), aut quia, etsi eiusdem sint naturae seu intelligibilitatis, habent in se principium non intelligibile, materiam, quo multiplicentur individua (res materia compositae). Deus autem est unius simplicissimae intelligentiae. Ideo si dantur in ipso plures personae hoc deberet esse quia Eius natura esset composita: sed hoc est contra eiusdem simplicitatem. Quod si ponitur pluralitas personarum ex diversa intelligibilitate singularum, quaeritur quatenus ex his esset infinita: si una, aliae identificantur cum ipsa; si nulla, non agitur de Deo sed de angelis.

Natura ergo divina adeo differt a nostra ut potius pertineat ad dissimile. Revera analogiae remotae inveniri possunt, at non tales ut demonstratio sequatur: Deus quoad se necessarie est Trinus, at nos perspicere non valemus rationem illius necessitatis. V.g. datur in Deo generatio Filii, qui tamen idem est Deus ac Pater. Eo usque non videmus nexum necessarium inter haec duo ut ea vis simul cogitare possimus. Ex hoc apparentes contradictiones in toto nostro tractatu, cuius munus est praecise aliquomodo reconciliare elementa mysterii. Hoc clare demonstrat nullam in nobis adesse cognitionem naturalem necessitatis nexus, inter Deum Unum et Deum Trinum, ita ut liceat veritatem Trinitariam omnino excludere a theologia naturali.

Ratio ergo cur non valemus intelligere mysterium Trinitatis est in eo quod tale mysterium pertinet ad illam partem nostrae cognitionis analogicae de Deo in qua Deus est creatis magis dissimilis quam similis. Quod vere de iure pertineat ad illud dissimile, probatur ex eo quod unica via possibilis analogiae esset *ex emanatione intellectuali*. At haec emanatio non potest probari esse perfectio pura ideoque in Deo adesse modo eminenti; *ut ex thesibus sequentibus patebit*.

Obicitur:

1 Multi Patres asserunt iam philosophos paganos cognovisse mysterium Trinitatis. Cfr. Boyer pp. 73-76.

Resp.: (1) quoad obiectum: Patres asseruerunt in philosophia pagana existitisse quandam anticipationem et praeparationem Evangelii, non vere illos philosophos habuisse cognitionem claram existentiae mysterii trinitarii;

(2) quoad principium cognitionis: talem praeparationem non posuerunt ortam sine speciali lumine divino, sed ex revelatione sive directa sive dependenter a Moysse.

2 Rationalistae adduxerunt ut fontes eorum quae in Christianismo inveniuntur Platonem, Stoices, Philonem, Plotinum (fere nemo hodie hoc asserit).

Resp.: Apud *Platonem* inveniuntur utique ideae subsistentes, cum praesinentia ideae Boni, sed ita describuntur ut inter se secundum naturam distinctae appareant: ideo nulla similitudo cum Trinitate.

Apud *Stoices* agitur utique de *logō*, sed ut de principio mundo immanenti: in singulis rebus, quatenus agunt secundum suam naturam; in hominibus, prout agunt secundum rationem; in mundo, in quantum concipiebatur ut unum vivens ordinatum. Hic immanentismus toto caelo differt a doctrina catholica.

Apud *Philonem* *logos* est quid intermedium inter Deum et creaturas vel identificatur cum mente divina et tunc apparet ut notio artefacti in mente artificis, modo anthropomorphice proposita, et non ut secunda persona divina. Neque dicenda est doctrina philoniana omnino independens a revelatione facta in VT de divina Sapientia, etc.

Apud *Plotinum* sermo est de tribus Hypostasibus, Uno, Intellectu, Anima, at clare constat illas esse tres substantias, non personas, atque inter se subordinari processu quodam descendenti. Aliqua utique dantur, exceptionaliter, quae Christianismum sapiunt, at sufficienter explicantur ex influxu eius magistri (Ammonii Saccae) quondam christiani, ideoque non constat de origine harum notionum ex sola ratione.

3 Nomen *ho Logos* mutuatum est a philosophia graeca.

Resp.: Transeat quod nomen mutuatum sit a philosophia graeca. Certe non est mutuatus sensus quia nimia est plenitudo significationis quae tali termino tribuitur in Christianismo.

Logos: verbum cum significatione, et quidem: (1) verbum prolatum, verbum ore prolatum (*logos prophorikos*); (2) verbum interius prolatum (*logos endiathetos*), rationalitas; et ita apud Graecos homo est *zoon logikon*, animal logicum seu rationale; (3) principium cosmicum immanens mundo eumque ordinans; (4) principium cosmicum transcendens: (a) instrumentum Dei; (b) mens divina; (c) aliquod ens intermedium et incertum inter ista duo (Philo); (5) persona divina a Patre distincta, genita, vere Deus transcendens de Deo vero, consubstantialis cum Patre; non principium cosmicum etsi habeat munus cosmicum; hic est *Logos* de quo loquitur Johannes et traditio catholica qui ne umbratiliter quidem extra revelationem invenitur.

Pars altera: Etsi cognita per revelationem, existentia trium personarum in Deo nequit per rationem sufficienter demonstrari.

Cfr. Boyer, pp. 80-87.

Semirationalistae: in oppositione ad rationalistas qui negant possibilitatem ipsam mysterious eaque ad mythos reducunt, semirationalistae dicuntur illi auctores qui concedunt existere mysteria, at contendunt nos posse illa per rationem demonstrare postquam cognita sunt per revelationem.

Alii pertinent ad saec. XII. Inculpabiliter erraverunt ratione defectus distinctionis systematicae inter duos ordines, naturalem et supernaturalem (inter rationem et fidem, caritatem et bonam voluntatem humanam), quae non nisi saec. XIII inventa est. Tunc tantum revera facta est clara distinctio systematica inter theologiam et philosophiam.

S. Anselmus: saepe videtur loqui ut semirationalista at nullo modo intendit demonstrationem rationalem mysterious.

Abelardus: arguit Trinitatem personarum in Deo ex Dei sapientia, Dei potentia, Dei bonitate.

Richardus a S. Victore: nititur in necessaria pro Deo societate amoris, quae non exurgit si una sola vel duae tantum sunt personae.

Raimundus Lullus: quia bonum est diffusivum sui, sequitur in Deo diffusio unde Pater Filio sese communicat, Pater autem et Filius Spiritui Sancto.

Alii pertinent ad saec. XIX. Quia fides non defenditur sine intelligentia fidei, fides enim est rationabilis, voluerunt theologiam reducere ad scientiam proprie dictam, in qua nullum mysterium inveniatur quod ratio rite excolta non possit demonstrare (DB 1708-1709; 1799).

Georgius Hermes (+ 1831): secundum principia kantiana. Dubium (positivum?) est ponendum ut basis omnis theologicae inquisitionis. Ratio unicum est medium quo homo assequi potest cognitionem veritatum supernaturalium. DB 1618-1621. Cfr. Edgar Hocedez, 'Histoire de la théologie au XIXe siècle,' t. I, Paris 1949, pp. 177-95.

Antonius Guenther (+ 1863): secundum principia hegeliana. Definitiones dogmaticae valent pro tempore in quo compositae sunt, at perficiuntur secundum ulteriores progressus. Ex principio quod personalitas est in conscientia sui concludit quod in Deo dantur tres conscientiae sui et tres substantiae unitae tantum per relationem originis. Deus Pater est subiectum, et ut se cognoscat debet sese exprimere ut obiectum et sic habetur Filius; ipsa autem cognitio qua subiectum ad obiectum refertur est Spiritus Sanctus. Sic corrumpitur notio unitatis divinae quae non amplius simplex est, sed organica, ex eo quod tres personae supponerent tres conscientias, et proinde tres individuas naturas. Günther autem sese retractavit. DB 1655-1658. Cfr. E. Hocedez, 'Histoire ...', t. II, Paris 1952, pp. 39-59. Ladislaus Orban, 'Theologia guentheriana et Concilium Vaticanum,' *Analecta Gregoriana*, vol. 28, Romae 1950.

Antonius Rosmini (+ 1855): secundum placita sui systematis, quod aliquantulum rationalismum redolet, in Deo verificatur notio trinitaria ex distinctione inter esse reale, ideale, morale. DB 1891-1930. Cfr. E. Hocedez, 'Histoire ...', t. II, pp. 140-57. F. Bruno, 'Le dimostrazioni trinitarie di Antonio Rosmini,' *Divus Thomas* (Piac.) vol. 29, 1952, pp. 166-95. (Cfr. praesertim propositiones 25 et 26 in Boyer p. 84.)

Mauritius Blondel: rationes nonnisi convenientiae attulit.

Probatur in genere: Si demonstratio non datur ante revelationem neque potest adesse postea: agitur enim de viribus naturalibus rationis eodem sensu sive ante sive post revelationem. Non enim dicitur quod ex revelatis fieri potest aliqua deductio (hoc omnes admittimus), sed quod, occasione revelationis, ratio perfecta ex propriis intelligit mysteria eaque demonstrat. At *occasio non causat differentias essentielles*: mysteria autem suapte natura excedunt intellectum creatum, qui impar est coram eis sive ante sive post revelationem, quae certe naturam non mutat. DB 1796. *Nota theologica*: thesis est theologice certa (ex Concilio Vaticano – DB 1795, 1816).

Singulis respondetur

Abelardo: ex Dei sapientia, potentia, bonitate: tria realiter demonstrantur inter se distincta – Nego. Tria attributa divina quae identificantur in simplicissimo et unico infinito actu spirituali divino – Concedo. Unde nulla demonstratio Trinitatis.

Ricardo a S. Victore: ex necessaria societate amoris eruitur aliqua convenientia et imperfecta intelligentia Trinitatis. Nulla autem fit vera demonstratio neque de initio neque de limite personarum multiplicationis. Dicitur enim Deus non esse perfectus si solus maneret, Deus enim Caritas est. Hoc de facto cognoscimus esse verum ex revelatione, sed quando hoc affirmamus solo lumine rationis neximus utrum aliquid plus quam purum anthropomorphismum asseramus: homo solus scilicet non est perfectus, sed quid de Deo aliquo solo possumus dicere? Ad hoc faciendum deberemus optime cognoscere ipsam infinitam perfectionem secundum suum proprium modum, dum negative tantum et ex finitis cognoscimus.

Raimundo Lullo: ex principio de diffusionem (libera) boni nihil possumus concludere relate ad operationes Dei ad intra quia modum quo diffusio in Deo procedere possit penitus ignoramus.

Semirationalistis saec. XIXo: radix controversiae cum istis auctoribus stat in fundamento theoriae gnoseologicae, in problemate scilicet utrum cognitio radicetur in identitate an in dualitate.

Secundum lineam potius platoniam ordo rerum est in ideis quae sunt intelligi biles, non autem intelligentes. Cognitio adest in Deo qui ideas intelligit et contemplatur. Sic nascitur

theoria secundum quam omnis cognitio fundatur in dualitate: cognitio non potest esse simplex, unde habetur non in primo sed in secundo. Si datur visus debet dari visum, si datur cognoscens debet dari cognitum. Sine distinctione ne potest quidem cogitari cognitio. Ex hoc principio Scotistae ponunt suas distinctiones formales a parte rei. Ita apud *Plotinum*, Primum est Unus, ultra ens, ultra intelligentiam, et tantum secundo loco venit Intellectus qui aliquam compositionem includit et qui cognoscit Unum; ex hac dualitate Anima emanatur. Ita apud *Sartre*, qui asserit ipsam Dei notionem esse contradictoriam ex eo quod aliquid ens non possit simul esse simplex (en soi) et non simplex (cognoscens: pour soi). Assumpto hoc fundamento gnoseologico quod unum et simplex nequit esse cognoscens requiritur processio ab aliquo primo ut habeatur cognitio: in Günther ponitur transitus a subiecto ad obiectum qui est ipsa cognitio; in Rosmini, a subiectivitate ad idealitatem, quae est sanctitas.

At secundum principia aristotelica cognitio non stat in dualitate: intelligibile in actu est intellectus in actu; idem est quod intelligit et quod intelligitur: cognitio in identitate reponitur. Obiectum cognitionis tunc solum distinguitur a cognoscente quando utrumque est in potentia, scilicet quando intelligere est actus eorum quae non sunt sine materia; in iis autem quae sunt sine materia (Deus est Actus purus absque ulla potentialitate): idem est intelligens et intellectum. Unde Primum et est maxime simplex et maxime intelligens. Unde minime demonstratur Deum non posse seipsum cognoscere nisi dicat Verbum.

Semirationalistae ideo refutantur ex negatis ipsis fundamentis philosophicis. Quod si quis nesciat quodnam ex istis duobus principiis sit verum, nequit procedere donec certitudinem acquisivit. Günther insuper refutatur ex eo quod si in Deo darentur tres conscientiae, tres etiam essent naturae divinae, tres essent Dii.

Thesis 5: Filius a Patre proprie generatur, et quidem secundum intellectum. Spiritus sanctus non procedit ut Filius, procedit autem secundum voluntatem. Cfr. Boyer, 1949, pp. 89-115.

Hucusque: (1) Probata est existentia mysterii ex scriptura, magisterio, et traditione. (2) Probatum est quod Trinitas est mysterium stricte dictum. *Nunc*: incipimus partem nostri tractatus in qua aliquid dicere conabimur *de natura* Sanctissimae Trinitatis, secundum analogiam imperfectam nostrae cognitionis, prout docemur a Concilio Vaticano (DB 1796).

Via synthetica et speculativa quam ingrediemur in thesi sequenti incipiet a problemate *de processionibus in Deo*, ob rationes quae ibi patebunt. At antequam inquiremus in quaestione *quid sint et quomodo a nobis sint concipiendae* divinae processionis, via analytica et positiva stabiliendum est *an sint* in Deo processionis. Hoc intendimus probare in hac thesi, in qua proinde nondum supponimus circa rem evolutionem systematicam quae habebitur in thesibus sequentibus, sed tantum aliquam cognitionem praescientificam (sine causis) facti, prout in omni scientia (= certa rerum per causas cognitione) datur, in qua proinde non habetur *intelligentia* (propter quid) facti sed tantum *certitudo* illius, prout eam positive eruere possumus ex fontibus revelationis et ex mysterio Ecclesiae.

Termini, etiam qui technici videri possunt (processio, generatio, ...) non accipiuntur secundum systematicam formulationem quam habuerunt apud theologos, sed in eorum acceptione vulgari et generali, prouti ab omnibus intelliguntur et in sacra scriptura et in documentis ecclesiasticis usurpantur.

Thesis dividitur in duas partes:

- 1: Processio Filii: A. Est generatio proprie dicta; B. est secundum intellectum.
- 2: Processio Spiritus Sancti: A. Non est generatio. B. Est secundum voluntatem.

Prima Pars

A Filius a Patre proprie generatur

Termini:

generatio: late, origo substantiae materialis; generatio propria (seu stricta) definietur in thesi sequenti. Quin definitionem technicam demus hic intelligimus agi de aliquo ente quid est Filius

proprius Patris vero quodam sensu, nec tantum per adoptionem vel metaphoram. Sic videbimus implicite in scriptura affirmari Filium esse talem *filiatione naturali*, quae vocatur *generatio propria*. Processio: origo unius ab alio; processiones divinae: in these sequenti explicabuntur per analogiam cum emanationibus intelligibilibus, ubi etiam melius patebit *quid sit* ‘generatio secundum intellectum’ et ‘processio secundum voluntatem.’ Cum nunc in via *analytica* seu *certitudinis* versemur, sufficiat cognitio praescientifica harum notionum.

De sentiis cfr. Boyer, pp. 101

1 Argumentum ex Magisterio Ecclesiae:

(A) Symbolum ‘Quicumque’ (DB 39): Filius a Patre solo est, non factus nec creatus sed genitus.

(B) Conc. Lat. IV (D. 432): Pater enim ab aeterno Filium generando ...

(C) Constitutio ‘Auctorem fidei’ Pii VI contra Pisticenses (DB 1597).

N.B. saepissime in Symbolis et Conciliis repetitur Filium esse proprio sensu Verum Filium.

Unde nota theologica: Filius est genitus: de fide divina et catholica.

Generatio Filii est generatio proprie dicta: adsunt pro hac re indicationes positivae in N.T. quae tamen non carent difficultatibus, quare argumentum ex scriptura proponemus post argumentum theologicum: ex quo propositio videtur *theologice certa*.

2 Ex ratione theologica:

Christus in N.T. dicitur Filius: hoc autem potest intelligi aut naturaliter, aut per adoptionem (per titulum iuridicum), aut per metaphoram.

Atque neque per adoptionem neque per metaphoram.

Ergo naturaliter, seu per veram generationem ex Patre.

Ad maiorem: disiunctio videtur completa.

Ad minorem: *non per adoptionem*: adoptionismus est haeresis, quia perit divinitas Christi; *non per metaphoram*: a fortiori, ex consequenti negatione divinitatis Christi. De hac doctrina cf. tractatum *De Verbo incarnato*.

3 *Ex sacra scriptura*: Problema est utrum fontes scripturisticae addant aliquam intelligibilitatem supra nomen 'Filius' ita ut ex illis possimus statuere agi de generatione proprie dicta, vel saltem valeamus excludere omnes alias 'filiationes.'

Jo. 1.18: 'Deum nemo vidit umquam: unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit' (cf. 3.16; 1 Jo. 4.9). Quoad *monogenēs* distinguere oportet (a) vim quam accipit ex modo quo illud intellexit traditio et ecclesia scripturas interpretans; v. gr., in symbolo Quicumque, ubi Filius dicitur genitus, Spiritus autem non genitus (hoc significat Filium esse *unigenitum*; sic etiam antea Vulgata verterat pro *monogenēs*, et Patres intellexerant contra Arianos agentes); (b) vim vocis: non necessario dicitur de generatione, vel de unica generatione. Ex radice *gēnos* verbum dicit tantum *aliquid unicum in aliquo genere*. At, in omnibus linguis, non potest statui sensus verborum ex sola etymologia.

Hebr. 1.5: 'Cui enim dixit aliquando angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? et rursum: Ego ero illi in patrem et ipse erit mihi in filium?' (cf. Ps. 2.7, 2 Sam. 7.14, Act. 13.33, Hebr. 5.5). Hic locus multum influxum habuit in efformanda notione generationis Filii. Attamen diversus est sensus quo locus accipitur in contextu V.T et N.T.

In V.T. *generatio a rege* significat *solemnem designationem successoris* (sic apud Assyrios et Babylonios); unde prophetia messianica V.T. significat: *ego hodie te constitui Messiam* (ita saltem iuxta recentiores eruditos). Si ita est, nihil habetur in loco de generatione aeterna sed agitur tantum de inthronizatione messianica.

In Epistola ad Hebreos, etsi contextus N.T. suggerat aliquam indicationem de generatione aeterna circa nomen 'Filius Dei,' non potest haberi locus tamquam stricte demonstrativus.

Rom 8.32: ‘Qui etiam *proprio* Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit?’ *1 Jo 5.20*: ‘Et scimus quoniam Filius Dei venit et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio eius. Hic est verus Deus et vita aeterna.’ Hi textus sunt certe omni exceptione maiores quoad divinitatem Christi et quoad aliquam eius originem a Deo. Sed quaestio est *an agatur de generatione proprie dicta*. Ad hoc stabiliendum non sufficit N.T., quod de hac re non agit, sed requiritur explicitatio eorum quae in N.T. inveniuntur, scilicet distinctionis et oppositionis inter Filium et filios adoptivos per gratiam, quorum, etsi ipsi generentur a Deo, totaliter alia ostenditur generatio, cuius ultima ratio immo est eorum incorporatio in Filio naturali (cf. Tit. 3.4-7; filii fimus per baptismum).

Conclusio: in fontibus non invenimus neque technicam definitionem generationis Filii tamquam generationis propriae dictae neque fundamentum technicae definitionis; invenitur tamen fundamentum ad alias generationes possibles (adoptivam, metaphoricam) excludendas.

4 Ex Patribus: Res habetur clare ex Patribus, praesertim in controversia cum Arianis; punctum controversiae erat praecise utrum Filius ‘natus’ sit ex substantia Patris an sit ‘factus,’ ‘creatus.’

B et quidem secundum intellectum. Intentio nostra nunc tantum est invenire in sacra scriptura et in traditione illud ex qua ortae sunt variae opiniones theologorum, quin unam ex illis eligamus. Quare contenti erimus statuendo generationem Filii aliquam habere relationem cum divino intellectu. Hoc modo intellecta thesis habet solidum fundamentum in N.T., et in tota traditione patristica et theologica, unde nota theologica est saltem *certa* (forsan *theologicè certa*).

- Quoad sententias cf. Boyer p. 101

1 Argumentum ex ratione theologica; etiam hic melius ab hoc argumento incipimus:

a *ex natura Dei* (argumentum omnino generale): Natura Dei est intellectualis. Filius generatur a patre naturaliter (secundum naturam). Ergo generatio Filii est secundum intellectum.

(Quod tantum processio secundum intellectum dicatur generatio, et quod generatio intellectualis in Deo nequeat esse nisi una tantum, cf. B. Lonergan, *Divinarum Personarum* 69-79.)

Ad maiorem. Deus enim perfecte se intelligit, atque intelligere divinum non importat in Deo ullam dualitatem; non est intuitio ocularis. Omne quod Deus de se intelligit, est ipse Deus, neque adest ulla distinctio inter intelligere divinum et id quod de Deo intelligitur. Deus ergo non concipitur nisi tamquam intelligere, et sic omnia includit, etiam quae nos nescimus, quia ea intelligit sese intelligendo.

Ad minorem. Generatio est communicatio alicuius naturae. Debet ergo fieri secundum naturam in qua fit. Unde nulla oppositio inter generationem secundum intellectum et secundum naturam uti ponebat Durandus.

b ex nomine ho Logos (Verbum): Filius est omnino simplex. Ergo omnino idem est quod dicitur quando proponitur nomen ‘Filius’ et nomen ‘Verbum.’ Atqui verbum procedit secundum intellectum. Ergo et Filius.

Ad maiorem: Nam Filius est Deus in quo nulla potest dari realis compositio.

Ad iam conclusionem: id quod realiter per haec nomina significatur est unum idemque. Cfr. Augustinus, *De Trinitate* 1, 7, c. 2 (DB 1597): ‘Eo dicitur Verbum quo Filius.’ Hoc est *de fide divina et catholica*: cf. DB 66, 111a, 114, 148, 480, 710, etc.).

Ad minorem: Quod Verbum respiciat intellectum habetur: non ex solo nomine sed ex constanti interpretatione traditionis de evangelio S. Joannis (praescindendo ab ulterioribus determinationibus). Ergo etiam Filius respicit intellectum. Sed filius talis dicitur quia generatur. Ergo eius generatio est intellectualis.

Quaedam difficultates *de sensu nominis ho Logos in prologo Evangelii S. Joannis.*

1 Secundum quosdam recentiores hoc nomen nihil aliud esset nisi extrinseca designatio Filii ex eius munere revelatoris impleto in praedicatione Evangelii quin aliquid designet de eius natura. Nam in N.T. haec vox haberet: *sensum generalem*: idem ac in usu communi linguae graecae seu ‘verbum habens sensum’ distinctum sive a sonis inarticulatis (*lalia*) sive articulatis

sed non cohaerentibus inter se (*phonē*); *sensum specialem*: Evangelium; sic dicitur ‘praedicere Verbum, audire Verbum’ ... (praesertim in Act. Ap.). Unde nulla ratio haberetur faciendi exceptionem et statuendi aliquem novum *sensum specialissimum* pro paucis locis Ioanneis (Jo 1.1-2, 1 Jo 1.1, Apoc. 19.14). Illa constans traditio, proinde, quae creditur in hoc nomine inveniri aliquam revelationem de natura secundae personae Sanctissimae Trinitatis careret omni fundamento.

Huic sententiae respondemus: Etsi nequeamus hic investigationem sine fine instituere, haec sunt consideranda:

(a) *in usu graco habentur quinque sensus verbi logos* (cf. supra pp. xx-xx; xx). Nunc certe in Prologo S. Ioannis *ho logos* designat saltem principium mundum transcendens (*ho logos ēn pros ton theon* ... omnia *di autou* facta sunt et sine ipso factum est nihil; mundus *di autou* ... factus est ...) et tamen munere cosmico fungens (omnia per ipsum facta sunt ... erat lux vera quae illuminat omnem hominem ...). Ergo est admittendus in Prologo aliquis specialissimus sensus praeter duos ab obicientibus designatos.

(b) *ex parallelismo inter modum quo incipiunt Evangelium Joannis et Prophetiae V.T.* Cf. Origines, Commentarium in IV Evangelium 1.2; C.H. Dodd, *The Interpretation of the Fourth Gospel*, Cambridge 1953) habetur triplex oppositio: in Prologo dicitur Verbum *ēn*, apud Prophetas Verbum Domini *egeneto*; in Prologo Verbum est Deus. apud Prophetas agitur de Verbo Dei; in Prologo Verbum est *pros ton theon*, apud Prophetas *pros* aliquem hominem.

Indicia sufficientia videntur proinde adesse distinguendi sensum Ioanneum a ceteris sensibus eiusdem nominis in scriptura et ideo non derelinquendi interpretationem communem in traditione catholica.

2 S. Joannes non videtur fuisse metaphysicus; explicationes e contra quae dedit traditio sunt metaphysicae.

Respondemus: non agitur de metaphysica sed de analogia psychologica; utrum S. Joannes fuerit metaphysicus, hoc pendet, ut statuatur, a conceptu quem obiciens habet de metaphysica;

in unoquoque homine enim datur implicitus habitus metaphysicus qui praeest omni humanae affirmationi; tandem, distinctio inter verbum ore prolatum et verbum prout interius profertur (seu rationalitatem) non est aliquid modernum sed antiquissimum, quamvis diversa sit technica expressionis eiusdem reabitatio (cf. DBS, Logos).

Secunda Pars

A: Spiritus Sanctus non procedit ut Filius (eius processio non est generatio).

De Sententiis, cf. Boyer, p. 110.

1 *Argumentum ex Magisterio Ecclesiae: ex Symbolo Quicumque*: ‘Spiritus Sanctus (est) a Patre et Filio, non factus nec creatus, nec genitus, sed procedens (DB 39; cf. dB 432). Unde *Nota Theologica*: de fide divina et Catholica.

2 *Ex sacra scriptura: ex voce monogenēs* (cf. Jo 1.18, 3.16, 1 John 4.9); etsi in prioribus documentis non usurpatur tamquam ‘unigenitus,’ sed tantummodo tamquam ‘unicus,’ iam habemus id quod volumus: scilicet, si Filius est unicus, non habentur duo filii; ideo Spiritus non est Filius et non procedit ut Filius.

3 *Ex Patribus*: agebant contra Arianos et Eunomium, qui asserebant quod si Spiritus Sanctus esset Deus, esset alius Filius. Sic Athanasius, Basilus, Augustinus.

4 *Ex ratione theologica*: in divinis non datur multiplicatio prout in materialibus habetur; ideo nequeunt dari duo Filii; ideo Spiritus non est alius Filius.

B: Procedit autem secundum voluntatem.

Sicut fecimus agentes de generatione Verbi hic praescindimus ab omnibus ulterioribus determinationibus et tantum affirmamus aliquam relationem inter processionem Spiritus et voluntatem divinam. Haec pars thesis est *communis* et videtur *theologice certa*.

De sententiis, cf. Boyer p. 110.

1 *Argumentum generale*: Gen. 1.27: ‘Et creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum ...’ Nullum habetur argumentum ex ipso textu in se spectato sed prout intellectus est in constanti traditione catholica inde ab Augustino hic textus est fundamentum analogiae psychologicae, scilicet inter Deum trinum et animam hominis. Nunc autem, cum in nostra anima non dentur nisi intellectus et voluntas et Filius procedat secundum intellectum, ideo relinquitur quod Spiritus Sanctus procedat secundum voluntatem.

2 *Ex nominibus Spiritus Sancti*:

(a) *Spiritus* non est nomen proprium sicut Pater et Filius (generans et genitus: nam habetur vera et propria generatio in divinis, quamvis alia sit ac generatio in naturalibus). De se nomen Spiritus applicatur Deo (cf. Jo. 4.24). Non est proinde nomen proprium tertiae personae. Illud tamen quod quasi specificum est Spiritus est *sanctitas*; cf. ex gr. Mt. 1.15, 28.19, Lc. 3.16, Act. 1.2, Rom. 5.5; cf. Dictum Damasi a. 382, DB 83. Ex analogia psychologica statuimus: sanctitas est in voluntate, non in intellectu; processio Amoris est in sanctitate (sicut processio Verbi est in veritate) quia habetur conscientia rationalis *obligata* ad ponendum actum propter bonitatem obiecti. Ideo processio ex qua quis fit *sanctus* est processio secundum voluntatem.

(b) *In Rom. 5.5*: ‘Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui *datus est nobis*.’ Unde Spiritus est *donum* (sic etiam Patres: Hilarius, Augustinus, etc.). Donum autem est translatio imis propter *benevolentiam*; unde amor est fundamentum omnis donationis, immo ipsum primum donum est amor, quia omnia alia dona fundat. Spiritus procedit igitur secundum bonam voluntatem divinam.

(c) *Spiritus* vocatur *pneuma* in N.T. (aer *kigoumenos*, *energeia* motus). Omnis actio externa autem pendet a voluntate.

Thesis VI: Spiritus Sanctus a Patre simul et Filio tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit.

Boyer pp. 177-95

Affirmamus Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedere non tamquam e duobus principiis sed uno, et unica spiratione, unica servata distinctione quod Filius habet a Patre quod spirat Paraclitum.

Quoad terminos:

Spiratio: in quantum dicit processionem est origo Spiritus a Patre Filioque per viam amoris; in quantum dicit relationem, active est relatio spirantis ad spiratum; passive, est relatio spirati ad spirantem.

Historia quaestionis: Quaestio ponitur ob controversiam cum Orientalibus de expressione 'filioque' Symbolo addita a Latinis.

Saec. IV: In Conc. Constantinopolitano (a. 381) dicitur Spiritum Sanctum procedere a Patre (DB 86).

Saec. V: In Occidente processio Spiritus Sancti a Filio clare continetur in scriptis doctorum. In Oriente autem Theodorus Mopsuestenus et Theodoretus Cyrensis negant Spiritum Sanctum a Filio procedere.

Saec VII: Res disputatur in concilio Lateranense (a. 649) at non solvitur. In Hispania, symbolo Constantinopolitano additur expressio 'Filioque': ex Hispania mos transit in Galliam et Germaniam.

Saec. IX: Monachi Graeci protestati sunt contra monachos Latinos Francos quia in Bethleem audierunt illos canere symbolum addito Filioque. Hac controversia motus, Leo III Papa *approbat doctrinam* de Filioque, *non* autem *additionem* expressionis in symbolo. Photius inter rationes schismatis ponit contra Latinos accusationem circa doctrinam de Filioque, ac si per istam Latini ponerent duo principia Spiritus Sancti, et sic a recta fide deficerent, quam accusationem postea etiam M. Cerularius repetivit, cui addidit accusationem violationis sanctitati antiquissimorum

Symbolorum, ex eo quod in Concilio Ephesino (a. 431) statutum erat ne additiones fierent in Symbolo. Postea in aliquo Synodo orientali statutum est Spiritum Sanctum a patre *per* Filium procedere, at mox etiam haec additio disparuit.

Saec. X-XI: Etiam Romae invenitur usus cantandi symbolum cum Filioque: quae *additio* a Pontificibus *approbata* est.

Saec. XIII: *Conc. Lugdunense II (1274)*: Expresse approbat doctrinam de Filioque: ‘... fatemus quod Spiritus Sanctus aeternaliter cum Patre et Filio, non tamquam ex duobus principiis sed tamquam ex uno principio... procedit’ (DB 460).

Saec. XV: *Conc. Florentinum (1438)* Decretum pro Graecis: Clarius doctrinam determinat: ‘... diffinimus ... quod Spiritus sanctus ex Patre et Filio aeternaliter est, et essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre *simul* et Filio, et ex utroque aeternaliter *tamquam* ab uno *principio* et unica spiratione procedit’ (D. 691).

Notanda:

(a) per verbum ‘tamquam’ non significatur ‘ac si esset’ sed indicatur modus quo res revera est;

(b) voce ‘principio’ a Latinis negatur causalitas; principium dicit tantum primum in aliquo ordine; ut apparet ex ipsa definitione conciliari quando sermo est de explicanda expressione Patrum: ‘ex Patre *per* Filium’; interpretatur enim Concilium: ‘Filius esse quoque secundum Graecos quidem *causam*, secundum Latinos vere *principium* subsistentiae Spiritus Sancti ...’ (ibid.). Etenim vox Graeca *aitia* latius patet quam vox latina ‘causa’ (*aitios* = responsabilis) et ideo potest includere etiam conceptum emanationis intelligibilis: historice tamen non constat Graecos de emanatione cogitavisse.

(c) ‘ex Pater *per* Filium procedere Spiritum Sanctum’; mediante praepositione *per* intenditur ordo relationum suppositorum. Si agitur de duobus suppositis ordinatis (Pater est principium imprincipiatum, Filius principium principiatum) non habemus duo principia absoluta

sed unum, quod exprimitur per verbum ‘ex utroque aeternaliter tamquam ab uno principio et unica spiratione procedit.’ Si e contra haberentur duo principia absoluta aut essent duo Dei at Deus et creatura. Utrumque autem admitti non potest.

Argumentum Concilii ad probandam doctrinam de Filioque haec est: Filius habet omnia quae Patris sunt, praeter paternitatem: sed Pater est Spirator, ergo etiam Filius est Spirator. Ideo licite et rationaliter additur in symbolo expressio ‘Filioque,’ veritatis declarandae gratia et imminente necessitate. Graecis tamen additio ‘Filioque’ non imposita est (cfr. Boyer p. 180).

Ex supradictis patet totam thesim esse de fide definita in Conc. Lugdunensi II et Florentino. Iam tamen aliquid habebatur in Concilio Lateranensi IV (DB 428).

Prima Pars: Spiritus sanctus procedit a Patre et a Filio.

A Ex sacra scriptura: Argumenta sacrae scripturae non probant directe, sed conclusio nostra necessarie sequitur ex reflexione theologica cuius munus est mentam auctoris inspirati explicitare *secundum intelligentiam traditionis*. Ex S. Joanne 16.13-15 duo fiunt argumenta inter se distincta tum ex loco tum ex praemissa addita. Hae praemissae, quamvis ex reflexione theologica additae, intimo fundantur in sacra scriptura ita ut processio Spiritus a Filio possit dici quasi formaliter implicita in assertionibus scripturae.

1 Argumentum: ‘Cum autem venerit ille Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet loquetur, et quae ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de me accipiet et annuntiabit vobis.’

Praesupponitur: simplicitas Spiritus Sancti.

Affirmatur in textu: Spiritum Sanctum realiter dependere a Filio; non enim loquitur a semetipso et de Filio accipit quid loquatur. Ideo Spiritus non est primum principium locutionis sed habet a Filio quod loquatur. Agitur in textu non de sola dependentia effectus, seu doctrinae quae a Spiritu docetur et in mente discipulorum recipietur, sed de dependentia a Filio ipsius Spiritus docentis. Haec insistencia Christi in negando quod Spiritus loquatur a semetipso, maiori

cum claritate offert realem dependentiam a Filio, ita ut interpretatio quaevis metaphorica excludatur.

Unde arguitur: Quodcumque de ente simplicissimo est verum secundum quid est verum de illo simpliciter; quia in ente simplicissimo non est fundamentum distinctionis (cf. De Deo Uno).

Atqui de Spiritu Sancto, ente simplicissimo, verum est quod dependet a Filio secundum quod Filius est principium locutionis.

Ergo verum est quod dependet a Filio simpliciter. Haec dependentia autem in Sanctissima Trinitate non est nisi processio.

Obiectio: in textu allato non habetur fundamentum processionis aeternae quia dicitur Spiritum Sanctum accepturum esse quae ‘loquetur,’ quae ‘annuntiabit’ (i.e., in tempore).

Resp.: Ioannes in hoc loco non loquitur directe de processione, sed de missione Spiritus Sancti, quae est in tempore. At si poneretur dependentia futura non tantum effectus in discipulis sed ipsius Spiritus, haec dependentia non posset esse realis nisi ipse Spiritus foret in tempore. Hoc autem repugnat quia Spiritus est Deus, in quo sicut non datur ‘secundum hoc et secundum illud’; quia in eo non sunt partes, ne datur quidem ulla pars temporis. Ergo dependentia Spiritus a Filio aut se habet extra tempus aut non est realis. Simplicitas personae divinae talis est ut disiunctio completa per contradictoria exigatur.

2 Argumentum: ‘Omnia quaecumque habet Pater mea sunt. Propterea dixi, quia de me accipiet et annuntiabit vobis’ (ibid. v. 15).

Praesupponitur: quod Spiritus Sanctus procedat a Patre (probat in Jo. 15.26, ubi explicite dicitur: ‘Spiritus veritatis, qui a Patre procedit’); et ideo quod Pater habeat quod sit Spirator (= spiratio activa).

Affirmatur in textu: Filium habere omnia quae habet Pater (praeter quod Patris est proprium, i.e., paternitas).

Unde arguitur: Filius habet omnia quae habet Pater (praeter quod Patris est proprium seu Paternitas).

Atqui Pater habet quod sit Spirator.

Ergo etiam Filius habet quod sit Spirator. Est argumentum Concilii Florentini.

Confirmatur ex voce ‘propterea,’ quae addit rationem cur Spiritus dependeat a Filio praecise esse in eo quod Filii sunt omnia quaecumque habet Pater.

Ex aliis locis: omnia reducuntur ad primum argumentum.

(a) Saepe argumentatur ex eo quod pluries in Jo. dicitur quod Filius mittet Spiritum Sanctum (Jo. 15.26, 16.7 ...) Notatur quod haec missio Spiritus a Filio non est tantum metaphorica, sed realis (mitti ab alio differt realiter a venire ex se) et ideo quod dependentia Spiritus a Filio, in hac missione implicata, non est metaphorica sed realis. Deinde, ex eo quod Spiritus Sanctus est ens simplicissimum, concluditur ad dependentiam totalem (cf. thesim de missionibus).

Quod missio Spiritus non sit metaphorica eruitur etiam ex similitudine missionis eius cum missione Filii a Patre, quae fuit realis quia fundamentum totius ordinis Novi Testamenti, et cum missione Apostolorum a Christo, quae fit realis quia fundamentum totius Ecclesiae. Similis missio infert similem dependentiam.

(b) Aliud argumentum fit ex Gal. 4.4-6: ‘misit Deus *Spiritum Filii* sui in corda vestra.’ Eadem vox *exapesteilen* adhibetur pro missione Filii et missione Spiritus. Genitivum indicat per se ‘possessionem’ aut ‘ordinationem ad dominum,’ ideo relationem et ideo in textu, si genitivum debet accipi sensu reali, ponitur relatio realis dependentiae in divinis. Atqui in divinis relatio realis non potest esse nisi relatio originis. Ergo genitivum textus ponit relationem dependentiae in origine Spiritus Sancti a Filio. Ad min.: in divinis enim non possunt esse relationes quantitatis et mensurae quia non est corporeitas, nec possunt esse relationes quoad actionem et passionem proprie dictam, quia Spiritus non est factus nec creatus.

B Ex Patribus

Patres Latini clare et explicitè uno ore profitentur processionem Spiritus Sancti non solum a Patre sed simul a Filio.

Tertullianus: ‘Spiritum non aliunde deputa quam a Patre per Filium.’ Cfr. declarationem Conc. Flor. Super expressionem ‘a Patre per Filium,’ cuius sensus ab ipso Tertulliano datur cum dicit ‘tertius enim est Spiritus a Deo et a Filio.’

Hilarius (qui iam habet argumentum concilii Florentini), Marius Victorinus, Ambrosius, Paulinus, Augustinus, S. Leo M., etc. affirmant idem. Leo III contra Francos prohibuit cantum ‘Filioque,’ tantum quia non erat necesse omnia credenda poni in Symbolo (cfr. Boyer pp. 182-83).

Quidam Patres Graeci eandem tenent doctrinam sed cum alio modo loquendi, ob rationem historicam: reiciunt expressionem ‘ex Filio’ quia adhibita iam ab Eunomio ad significandum quod Spiritus Sanctus est creatura Filii. Hac ideo ratione praeferunt formulam ‘ex Patre per Filium.’

At S. Cyrillus Alexandrinus utraque utitur formula: ‘Ex Patre per Filium’ et ‘ex utroque.’

S. Basilius: ‘quod si Spiritus Filio iniunctus est, Filius autem Patri, liquet ipsum etiam Spiritum Patri adiungi’ (clarissime habetur processio Filii).

S. Cyrillus Hierosolymitanus: indicat processionem ab utroque ex eo quod Filius omnia habet a Patre, et Spiritus omnia habet ex Filio, ergo ex medietate Filii inter Patrem et Spiritum.

Quidam videntur affirmare processionem Spiritus a Filio mediante expressione ‘Spiritus est “imago” Filii.’ Sic Basilius, Gregorius Nazianzenus ...

Per hanc expressionem affirmatur processio tantum si ‘imago’ sumatur sensu stricto: i.e., non ut quaelibet similitudo, sed ut similitudo preveniens ex origine unius ab alio. Non constat Patres graecos semper sensu stricto intellixisse expressionem; nondum enim habebant exactam terminologiam systematicam.

Alii Patres graeci expresse asserunt Spiritum ‘ex utroque’ procedere: sic, ut vidimus, Cyrillus Alexandrinus, Epiphanius, Didymus Alexandrinus, Ephraem.

Joannes Damascenus non vult dici Spiritum procedere *ex Filio* at *ex Patre per Filium*. At mens Damasceni haec est: ipse non vult agnoscere in Trinitate nisi unum primum principium; proinde non vult dici Spiritum esse ex Filio, secus Filius esset primum principium imprincipiatum. Aliqua rationabilitas ergo adest in eius sententia: principium est primum in aliquo ordine. Quando ponuntur primum et secundum, secundum non est primum. *Secundum considerationem logicam* bene loquitur Damascenus, at non *secundum realitatem*: Filius est enim *homoousion* Patri et a Patre habet quod sit principium, ex eo quod nulla distinctio realis datur inter Patrem et Filium in quantum principium Spiritus constituunt. Diversitas est proinde systematica, tantum in modo loquendi et in significatione notionis *archē*; quoad rem autem nobiscum Damascenus consentire videtur. Cf. Boyer, pp. 183-86.

C Ex ratione Theologica

Probatio fit ex eo quod nisi Spiritus Sanctus procederet a Filio, identificatur cum eo.

Etenim – in divinis distinctio realis datur tantum ubi habentur relationes reales mutuo oppositae (non quaecumque relationes, vel aliquid absolutum). Ergo inter Patrem et Spiritum Sanctum et inter Filium et Spiritum Sanctum debent dari relationes mutuo oppositae, quae non possunt esse nisi relationes originis, seu processiones.

Antecedens docetur in Conc. Florentino (D. 703: decretum pro Jacobitis). Haec tamen est veritas quae cognoscitur in Ecclesia iam a tempore S. Augustini. Iam Cappadoces asserebant tres personas divinas realiter distinctas; sed in quantum ipsae sunt consubstantiales debet in eis agnosci aliqua proprietas ad hoc ut realiter distinguantur. Cf. etiam praefationem Missae de sanctissima Trinitate. At proprietas vera divinae personae nequit esse nisi *relativa*.

Absolutum enim *ponit* aliquam rationem quae aut est aut non est. Relatio e contra nihil ponit sed *refert* id quod ponitur; et prout id quod ponitur refertur, habetur aliquid cuius tota realitas non invenitur in simplici positione vel non positione, aliquid genus diversum. Etenim

absolutum continet totam suam rationem intra suam realitatem (sic homo est animal rationale); *relativum* e contra non continet totam suam rationem intra suam realitatem, sed est proprium eius *respicere ad aliud* (ex-statis; prospicere ...)

Proprietates quibus distinguuntur divinae personae nequeunt esse aliquid absolutum, secus Pater haberet perfectionem quam nullo modo habet Filius ... et sic tolleretur consubstantialitas et simplicitas infinita unici absoluti divini, cui nihil addi potest.

Restat ergo quod proprietates sunt relativae.

Si proprietates sunt realiter relativae, realiter distinguerentur in quantum mutuo opponuntur. Mutuo enim opponuntur relationes quatenus altera ad alteram terminatur. Si autem altera et altera sunt realiter idem, utraque est relatio eiusdem ad idem et ideo est ens rationis tantum. Si non sunt realiter idem, realiter inter se distinguuntur. Unde relationes reales et mutuo oppositae realiter inter se distinguuntur.

Sequitur ergo effatum Florentini: Spiritus Sanctus nisi procederet a Filio, non haberet relationem oppositam Filio qua ab illo distingueretur. Si spiratio passiva non realiter distingueretur a filiatione, eadem persona essent Filius et Spiritus Sanctus. Unde necessarie filiatio idem debet esse ac spiratio activa.

Secunda Pars: Spiritus Sanctus a Patre et a Filio procedit tamquam ab uno principio.

Sententiae: Durandus et Gregorius Ariminensis docent unitatem principii spirantis esse improprie dictam et solum in ratione unitatis termini processionis eam fundant. At sunt exceptiones: alii doctores catholici unitatem proprie dictam docent.

Unde hoc intelligi debet: relationes oppositae multiplicant in divinis supposita sed non principia. Multiplicant supposita: multiplicant enim relationes reales, et in Deo relatio realis est ens quod, non tantum ens quo. In Deo enim ens quod et ens quo identificantur. Sic paternitas et filiatio ponunt duo supposita in Deo. Non multiplicant principia: quia principium, primo et per se, dicit aliquid absolutum, et absolutum non multiplicatur per relationes reales oppositas, quas

habet. Quamvis, enim, principium connotet principiatum, *primo et per se* dicit aliquid absolutum, seu id ex quo sequitur principiatum.

Obiectio: Relationes mutuo oppositae in divinis multiplicant supposita. Atqui suppositum est principium quod. Ergo relationes mutuo oppositae in divinis multiplicant principia quae, et ruit thesis.

Resp.: distinguendum est in notione suppositi, et debet evolvi terminologia ad quam sumus assueti considerantes suppositum tamquam principium quod. Hoc legitime faceremus nisi dogma Trinitarium cognosceremus. Suppositum, in divinis, quamvis dicat subsistens distinctum in natura intellectuali, tamen non dicit aliquid absolutum sed *relativum*, quia praecise per relationum oppositionem tres divinae personae realiter ‘distinguuntur’ et sunt tria supposita, tria entis quae. Quia ergo in Deo supposita sunt relativa (Deus enim quamvis subsistat, non subsistit ut quartus realiter distinctus a tribus personis) multiplicatio suppositorum non multiplicat *principium quod*, quod manet realiter idem (cf. DB 704: decretum pro Jacobitis).

Pater et Filius ergo sunt unum principium Spiritus Sancti, neque quaeratur utrum sint principium quo an quod; nam in divinis nulla distinctio realis datur inter id quo et id quod est.